

UDVALGTE STYKKER AF  
**LATINSKE FORFATTERE**  
FRA  
MIDDELALDEREN OG DEN NYERE TID

TIL BRUG VED LATINUNDERVISNINGEN I GYMNASIET

UDGIVNE AF

**M. CL. GERTZ OG JUL. NIELSEN**  
DR. PHIL., PROF. V. UNIV.                           ADJUNKT

—  
1. AFDELING:

MIDDELALDERLIGE FORFATTERE

UDGIVNE MED OPLYSNINGER

AF

**M. CL. GERTZ**



KØBENHAVN  
GYLDENDALSKE BOGHANDEL · NORDISK FORLAG

1909

## F O R O R D.

---

Hermed udsender jeg, lidt senere end jeg havde ønsket og haabet at kunne naa det, den Del af en *Læsebog med udvalgte Stykker af middelalderlige og nyere latinske Forfattere*, som jeg har paataget mig at udarbejde. Jeg har ved Udgivelsen af Teksterne meget ofte maattet foretage Sammendragninger og Forkortelser; men den middelalderlige Sprogform har jeg ikke fundet megen Anledning til at forandre paa. Stykkerne af *Saxo* er ubetinget de vanskeligste, og jeg raader til at læse dem sidst; ogsaa Stykket af *Orderik* maa man helst vente noget med; alt det øvrige synes mig gennemgaaende let, men jeg vilde dog særlig tilraade at begynde med *Paulus Diaconus*, *Guillemus Tyrius*, *Matthæus Westmonasteriensis* og *Chronicon Lundense*.

Paa Udarbejdelsen af „Oplysningerne“ tør jeg nok sige at jeg har anvendt meget stor Flid. Dette Afsnit er blevet ret langt, men jeg tror ikke, der havde kunnet spares ret meget af det, der er meddelt; til Gengæld haaber jeg, at man ikke ofte skal lede forgæves efter noget, som virkelig hører med til at forklare Teksterne. Hvis Lærerne under Brugen af Bogen skulde opdage Fejl eller Mangler, som vel næppe helt har kunnet undgaas, vilde jeg være dem meget taknemlig, om de vilde sende mig Meddelelse derom.

Jeg vilde finde det rigtigt, om Læreren straks ved Begyndelsen af Læsningen vilde anvende et Par

Timer til at gennemgaa de „Grammatiske Bemærkninger“ med Eleverne og ligeledes Bemærkningerne foran Ordlisten.

I de „Grammatiske Bemærkninger“ beklager jeg meget ved en Uagtsomhed under Renskrivningen af Manuskriptet at have oversprunget følgende Notits, som skulde have staaet i Afsnit I (Lydbetegnelse og Retskrivning) som Nr. 5:

„Den Lydmodifikation, som *m* faar foran *n*, betegnes tit ved Indsættelsen af et *p* mellem disse Bogstaver, f. Eks. *dampno*, *condempno*, *dampnum*, *sompnus*, *erumpna*, *calumpnia*, *sollempnis* osv. Det er det samme *p*, som i klassisk Latin findes i Former som *sumpsi*, *sumptum*; det udtales slet ikke som et virkelig *p*, men Læberne lukkes blot tæt sammen.“

Til de Ord (græske), hvori *h* er udeladt i den latiniserede Form (Nr. 4), hører i denne Bog foruden *ypocrita* ogsaa *c(h)ronica* og *sc(h)isma*, se Ordlisten.

Endnu bemærker jeg blot, at hver Tekstside indeholder omtrent 1700 Bogstaver.

Kbhvn. d. 17. Dec. 1903.

M. Cl. Gertz.

## BAEDA VENERABILIS.

### 1. *Origo conuersonis Anglorum.*

De Gregorio Magno, pontifice Romano, cuius industria gens Anglorum ad fidem Christi conuersa est, Venerabilis Baeda in Historia ecclesiastica gentis Anglorum inter alia hæc narrat:

Non silentio prætereunda opinio, quæ de beato 5 Gregorio traditione maiorum ad nos usque perlata est, qua uidelicet ex causa admonitus tam sedulam erga salutem nostrę gentis curam gesserit. Dicunt quippe die quadam, cum, aduenientibus nuper Romanam mercatoribus, multa uenalia in forum fuissent conlata, multi 10 ad emendum confluxissent, et ipsum Gregorium inter alios aduenisse ac uidisse inter alia pueros uenales positos candidi corporis ac uenusti uultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aspiceret, interrogauit, ut aiunt, de qua regione uel terra essent 15 adlati. Dictumque est, quia de Britannia insula, cuius incole talis essent aspectus. Rursus interrogauit, utrum idem insulani Christiani an paganis adhuc erroribus essent implicati. Dictum est, quod essent pagani. At ille, intimo ex corde longa trahens suspiria: „Heu, pro 20 dolor!“ inquit, „quod tam lucidi uultus homines tenebrarum auctor possidet, tantaque gratia frontispicii mentem ab interna gratia uacuam celat!“ Rursus ergo interrogauit, quod esset uocabulum gentis illius. Responsum est, quod Angli uocarentur. At ille: 25 „Bene“ inquit; „nam et angelicam habent faciem, et

tales angelorum in celis decet esse coheredes. Quod habet nomen ipsa prouincia, de qua isti sunt adlati?“ Responsum est, quod Deiri uocarentur idem prouinciales. At ille: „Bene“ inquit, Deiri, de ira eruti et 5 ad misericordiam Christi uocati. Rex prouincie illius quomodo appellatur?“ Responsum est, quod Aelli diceretur. At ille adludens ad nomen ait: „Alleluia, laudem dei creatoris, illis in partibus oportet cantari“. Accedensque ad pontificem Romanę et apostolicę sedis 10 (nondum enim erat ipse pontifex factus) rogauit, ut genti Anglorum in Brittaniam aliquos uerbi ministros, per quos ad Christum conuerteretur, mitteret; se ipsum paratum esse in hoc opus domino cooperante perficiendum, si tamen apostolico pape, hoc ut fieret, 15 placeret. Quod dum perficere non posset, quia, etsi pontifex concedere illi, quod petierat, uoluit, non tamen ciues Romani, ut tam longe ab urbe secederet, uoluere permettere, mox, ut ipse pontificatus officio functus est, perfecit opus diu desideratum, alias quidem 20 predicatores mittens, sed ipse prædicationem, ut fructificaret, suis exhortationibus ac precibus adiuuans.

## 2. Conuersio Nordanhymbrorum.

Cum Æduinus, rex Nordanhymbrorum, Ædilbergam, filiam regis Cantuariorum, missis procis a fratre eius Æodbaldo, qui tunc huic regno præterat, in matrionium peteret, responsum est, non esse licitum christianam uirginem pagano in coniugem dari, ne fides et sacramenta cœlestis regis consortio profanarentur regis, qui ueri dei cultus esset prorsus ignarus. Quę cum Æduino uerba nuntii referrent, promisit se 30 nil omnimodis contrarium christiane fidei, quam uirgo colebat, esse facturum, quin potius permisurum, ut fidem cultumque suę religionis cum omnibus, qui secum uenissent, uiris siue feminis, sacerdotibus seu ministris, more christiano seruaret. Neque abnegauit se etiam 35 eandem subiturum esse religionem, si tamen examinata

a prudentibus sanctior ac deo dignior posset inueniri. Itaque promittitur uirgo atque Æduino mittitur; et iuxta quod dispositum fuerat, ordinatur episcopus uir deo dilectus Paulinus, qui cum illa ueniret eamque et comites eius, ne paganorum possent societate pollui, cotidiana exhortatione et sacramentorum cœlestium celebratione confirmaret. Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Iusto, archiepiscopo Cantuariensi, sub die XII. Kalendarum Augustarum, anno ab incarnatione domini DCXXV, et sic cum prefata uirgine ad regem 10 Æduinum aduenit. Cumque in prouinciam uenisset, laborauit multum, ut et eos, qui secum uenerant, ne a fide deficerent, deo adiuuante contineret, et aliquos, si forte posset, de paganis ad fidei gratiam prædicando conuerteret.

Anno sequente regina filiam peperit, quam rex Christo consecrandam Paulino episcopo adsignauit; quę baptizata est die sancto pentecostes prima de gente Nordanhymbrorum cum undecim aliis de familia eius. Rex tamen ipse, quamuis non ultra idolis 20 seruuiuit, non statim et inconsulte fidem christianam percipere uoluit; uerum primo diligentius et ab ipso uenerabili uiro Paulino rationem fidei ediscere et cum suis primatibus, quos sapientiores nouerat, curauit conferre, quid de his agendum arbitrarentur. Sed et 25 ipse, cum esset uir natura sagacissimus, sepe diu solus residens ore quidem tacito, sed in intimis cordis multa secum conloquens, quid sibi esset faciendum, quę religio sequenda, tractabat. Tandem monitu Paulini habitu cum sapientibus consilio sciscitabatur singillatim 30 ab omnibus, qualis sibi doctrina hęc eatenus inaudita et nouus diuinitatis, qui prædicabatur, cultus uideretur.

Cui primus pontificum ipsius Coifi respondit: „Tu uide, rex, quale sit hoc, quod nobis modo prædicatur; ego autem tibi uerissime, quod certum didici, profiteor, 35 quia nihil omnino uirtutis habet, nihil utilitatis, religio illa, quam hucusque tenuimus. Nullus enim tuorum studiosius quam ego culturae deorum nostrorum se

subdidit; et nihilominus multi sunt, qui ampliora a te  
beneficia quam ego et maiores accipiunt dignitates  
magisque prosperantur in omnibus, quæ agenda uel  
adquirenda disponunt. Si autem dii aliquid ualerent,  
5 me potius iuuare uellent, qui illis impensius seruire  
curaui. Unde restat, ut, si ea, quæ nunc nobis noua  
predicantur, meliora esse et fortiora habita examinatione  
perspexeris, absque ullo cunctamine suspicere  
illa festinemus."

10 Cuius suasioni uerbisque prudentibus alias optimatum regis tribuens assensum continuo subdidit:  
"Talis mihi uidetur, rex, uita hominum presens in  
terrī ad comparationem eius, quod nobis incertum est,  
temporis, quale cum, te residente ad cenam cum  
15 ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso  
quidem foco in medio et calido effecto cenaculo,  
furentibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium  
pluuiarum uel niuium, adueniens unus passerum domum  
citissime peruolauerit; qui, cum, per unum ostium  
20 ingrediens, mox per aliud exierit, ipso quidem tempore,  
quo intus est, hiemis tempestate non tangitur, sed  
tamen, paruissimo spatio serenitatis ad momentum  
excuso, mox de hieme in hiemem regrediens tuis  
oculis elabitur. Ita hæc uita hominum ad modicum  
25 appareret; quid autem sequatur, quidue precesserit,  
prorsus ignoramus. Unde, si hæc noua doctrina certius  
aliquid attulit, merito esse sequenda uidetur." His  
similia et ceteri maiores natu ac regis consiliarii,  
diuinitus admoniti, prosequabantur.

30 Adiecit autem Coifi, quia uellet ipsum Paulinum  
diligentius audire de deo, quem predicabat, uerba  
facientem. Quod cum ille iubente rege faceret, exclamauit Coifi auditis eius sermonibus, dicens: "Iam olim  
intellexeram nihil esse, quod colebamus, quia uidelicet,  
35 quanto studiosius in eo cultu ueritatem querebam,  
tanto minus inueniebam. Nunc autem aperte profiteor,  
quia in hac predicatione ueritas claret illa, quæ nobis  
uite, salutis et beatitudinis eterne dona ualet tribuere.

Unde suggero, rex, ut templa et altaria, quæ sine  
fructu utilitatis sacrauimus, ocius anathematis et igni  
contradamus."

Quid plura? prebuit palam adsensem euangelizanti  
beato Paulino rex, et abrenuntiata idolatria fidem se  
Christi suscipere confessus est. Cumque a prefato  
pontifice sacrorum suorum quereret, quis aras et fana  
idolorum cum septis, quibus erant circumdata, primus  
profanare deberet, ille respondit: "Ego; quis enim ea,  
quæ per stultitiam colui, nunc ad exemplum omnium 10  
aptius quam ipse per sapientiam mihi a deo uero  
donatam destruat?" Statimque, abiecta superstitione  
uanitatis, rogauit sibi regem arma dare et equum  
emissarium, quem ascendens ad idola destruenda  
ueniret. Non enim licuerat pontificem sacrorum uel 15  
arma ferre uel preter in equa equitare. Accinctus  
ergo gladio accepit lanceam in manu, et ascendens  
emissarium regis pergebat ad idola. Quod aspiciens  
uulgas estimabat eum insanire. Nec distulit ille, mox  
ut adpropriabat ad fanum, profanare illud, injecta in 20  
eo lancea, quam tenebat; multumque gausus de agnitione  
ueri dei cultus iussit sociis destruere ad succendere  
fanum cum omnibus septis suis. Ostenditur  
autem locus ille quondam idolorum non longe ab  
Eburaco ad orientem, ultra amnem Doruentionem, et 25  
uocatur hodie Godmunddingaham, ubi pontifex ipse,  
inspirante deo uero, polluit ac destruxit eas, quas  
ipse sacrauerat, aras.

Igitur accepit rex Æduinus cum cunctis gentis  
sue nobilibus ac plebe plurima fidem et lauacrum 30  
sanctæ regenerationis anno regni sui XI., qui est  
annus dominice incarnationis DCXXVII. Baptizatus  
est autem Eburaci die sancto pasche, pridię Iduum  
Aprilium in ecclesia Petri apostoli, quam ibidem ipse  
de ligno, cum catechizaretur atque ad percipiendum 35  
baptisma inbueretur, citato opere construxit. In qua  
etiam ciuitate ipsi doctori atque antistiti suo Paulino  
sedem episcopatus donavit.

## 3. Visio Drycethelmi.

Sub finem VII. p. Chr. n. seculi miraculum memorabile et antiquorum simile in Brittania factum est. Namque ad excitationem uiuentium de morte animę quidam aliquamdiu mortuus ad uitam resurrexit cor 5 poris et multa memorata digna, quę uiderat, narravit.

Erat ergo in regione Nordanhymbrorum pater familias, Drycethelmus nomine, religiosam cum domu sua gerens uitam; qui, infirmitate corporis tactus, et hac crescente per dies ad extrema perductus, primo 10 tempore noctis defunctus est. Sed diluculo reuiuiscens ac repente residens omnes, qui corpori flentes ad sederant, timore immenso percuslos in fugam conuertit; uxor tantum, quę amplius amabat, quamuis multum tremens et pauida, remansit. Quam ille consolatus: 15 „Noli“ inquit „timere, quia iam uere surrexi a morte, qua tenebar, et apud homines sum iterum uiuere permisus; non tamen ea mihi, qua ante consueram, conuersatione, sed multum dissimili ex hoc tempore uiuendum est.“ Statimque surgens abiit ad uillulę 20 oratorium, et usque ad diem in oratione persistens mox omnem, quam possederat, substantiam in tres diuisit portiones, e quibus unam coniugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibi ipse retentans statim pauperibus distribuit. Nec multo post seculi curis absolutus ad 25 monasterium Mailros, quod Tuidi fluminis circumflexu maxima ex parte clauditur, peruenit; acceptaque tonsura, locum secrete mansionis, quam prouiderat abbas, intravit, et ibi usque ad diem mortis in tanta mentis et corporis contritione durauit, ut multa illum, quę 30 alios laterent, uel horrenda uel desideranda uidisse, etiamsi lingua sileret, uita loqueretur.

Narrabat autem hoc modo, quod uiderat: „Lucidus“ inquiens „aspectu et clarus erat indumento, qui me ducebat. Incedebamus autem tacentes, ut uidebatur, 35 contra ortum solis solstitialem; cumque ambularemus, deuenimus ad uallem multę latitudinis ac profunditatis,

infinite autem longitudinis, que, ad leuam nobis sita, unum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore niuum omnia perflante atque uerrente non minus intolerabile preferebat. Utrumque autem erat animabus hominum 5 plenum, que uicissim huc inde uidebantur quasi tempestatis impetu iactari. Cum enim uim feruoris inmensi tolerare non possent, prosiliebant miserę in medium rigoris infesti; et cum neque ibi quippam requiei inuenire ualerent, resiliebant rursus urende in 10 medium flamarum inextinguibilium. Cumque hac infelici uicissitudine longe lateque, prout aspicere poteram, sine ulla quietis intercapidine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare cepi, quod hic fortasse esset infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrari sepius audiui. Respondit cogitationi meę ductor, qui me preceudebat: „Non hoc“ 15 inquiens „suspiceris; non enim hic infernus est ille, quem putas.“

At cum me hoc spectaculo tam horrendo perterritum paulatim in ulteriora produceret, uidi subito ante nos obscurari incipere loca, et tenebris omnia repleri. Quas cum intraremus, in tantum paulisper condensatae sunt, ut nihil preter ipsas aspicerem, excepta dumtaxat specie et ueste eius, qui me ducebat. Et cum progrederemur ‘sola sub nocte per umbras’, ecce subito apparent ante nos crebri flamarum tētrarum globi, ascendentes quasi de puteo magno rursumque decidentes in eundem. Quo cum perductus essem, repente ductor meus disparuit ac me solum in medio tenebrarum et horridę uisionis reliquit. At cum idem globi ignium sine intermissione modo alta peterent, modo ima baratri repesterent, cerno omnia, quę ascendebant, fastigia flamarum plena esse spiritibus hominum, qui, instar fauillarum cum fumo ascendentium, nunc ad 35 sublimiora proicerentur, nunc retractis ignium uaporibus relaberentur in profunda. Sed et fetor incomparabilis cum eisdem uaporibus ebulliens omnia illa

tenebrarum loca replebat. Et cum diutius ibi patidus consisterem, utpote incertus, quid agerem, quo uertem gressus, qui me finis maneret, audio subitum post terga sonitum inmanissimi fletus ac miserrimi, simul et cachinnum crepitantem quasi uulgi indocti captis hostibus insultantis. Ut autem sonitus idem clarior redditus ad me usque peruenit, considero turbam malignorum spirituum, que quinque animas hominum mereentes heuilantesque, ipsa multum exultans et cachinnans, medias illas trahebat in tenebras; e quibus uidelicet hominibus, ut dinoscere potui, quidam erat ad tonsus ut clericus, quidam laicus, quedam femina. Trahentes autem eos maligni spiritus descenderunt in medium baratri illius ardantis; factumque est, ut, cum longius subeuntibus eis fletum hominum et risum demonorum clare discernere nequirem, sonum tamen adhuc promiscuum in auribus haberem. Interea ascenderunt quidam spirituum obscurorum de abyssu illa flammiuoma, et adcurrentes circumdederunt me atque oculis flammantibus et de ore ac naribus ignem putidum efflantes angebant; forcipibus quoque igneis, quos tenebant in manibus, minitabantur me comprehendere, nec tamen me ulla tenus contingere, tametsi terrere, presumebant. Qui cum, undiqueuersum hostibus et cecitate tenebrarum conclusus, hoc illucque oculos circumferrem, si forte alicunde quid auxillii, quo saluarer, adueniret, apparuit retro in uia, qua ueneram, quasi fulgor stelle micantis inter tenebras, qui, paulatim crescens et ad me ocius festinans, ubi adpropinquauit, dispersi sunt et aufugerunt omnes, qui me forcipibus rapere querebant, spiritus inferni.

Ille autem, qui adueniens eos fugauit, erat ipse, qui me ante ducebat; qui mox conuersus ad dextrum iter, quasi contra ortum solis brumalem, me ducere cepit. Nec mora, exemptum tenebris in auras me serenę lucis eduxit; cumque me in luce aperta duceret, uidi ante nos murum permaximum, cuius neque longitudini hinc uel inde neque altitudini ullus esse terminus

nus uideretur. Cepi autem mirari, quare ad murum accederemus, cum in eo nullam ianuam uel fenestram uel adscensum alicubi conspicerem. Cum ergo peruenissemus ad murum, statim nescio quo ordine fuimus in summitate eius. Et ecce ibi campus erat latissimus ac letissimus tantaque fragrantia uernantium flosculorum plenus, ut omnem mox fetorem tenebrose fornacis, qui me perueraserat, effugaret admirandi huius suauitas odoris. Tanta autem lux cuncta ea loca perfuderat, ut omni splendore diei siue solis meridiani radiis uideretur esse preclarior. Erantque in hoc campo innumera hominum albatorum conuenticula sedesque plurime agminum letantium. Cumque inter choros felicium incolarum medios me duceret, cogitare cepi, quod hoc fortasse esset regnum celorum, de quo predicari sepius audiui. Respondit ille cogitatui meo: „Non“ inquiens, „non hoc est regnum celorum, quod autumas.“

Cumque procedentes transissemus et has beatorum mansiones spirituum, aspicio ante nos multo maiorem luminis gloriam quam prius; in qua etiam uocem cantantium dulcissimam audiui; sed et odoris fragrantia miri tanta de loco effundebatur, ut is, quem antea degustans quasi maximum rebar, iam permodicus mihi odor uideretur, sicut etiam lux illa campi florentis eximia in comparatione eius, que nunc apparuit, lucis tenuissima prorsus uidebatur et parua. In cuius amplitudinem loci cum nos intratueros sperarem, repente duxit substitut; nec mora, gressum retorquens ipsa me, qua uenimus, uia reduxit.

Cumque reuersi perueniremus ad mansiones illas letas spirituum candidatorum, dixit mihi: „Scis, que sint ista omnia, que uidisti?“ Respondi ego: „Non“. Et ait: „Vallis illa, quam aspexisti, flammis feruentibus et frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus, in quo examinande et castigande sunt anime illorum, qui, differentes confiteri et emendare sclera, que fecerunt, in ipso tandem mortis articulo ad penitentiam con-

fugiunt et sic de corpore exeunt; qui tamen, quia confessionem et penitentiam uel in morte habuerunt, omnes in die iudicii ad regnum celorum peruenient. Multos autem preces uiuentium et elimosynę et ieunia 5 et maxime celebratio missarum, ut etiam ante diem iudicii liberentur, adiuuant. Porro puteus ille flammiuomus ac putidus, quem uidisti, ipsum est os gehennę, in quo quicumque semel inciderit, numquam inde liberabitur in eum. Locus uero iste florifer, in quo pulcherrimam hanc iuuentutem iucundari ac fulgere conspicis, ipse est, in quo recipiuntur anime eorum, qui in bonis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen sunt tantę perfectionis, ut in regnum celorum statim mereantur introduci; qui tamen omnes in die iudicii ad 15 uisionem Christi et gaudia regni celestis intrabunt.

Nam quicumque in omni uerbo et opere et cogitatione perfecti sunt, mox de corpore egressi ad regnum celeste perueniunt; ad cuius uicina pertinet locus ille, ubi sonum cantilenę dulcis cum odore suauitatis ac 20 splendore lucis audisti. Tu autem, qui nunc ad corpus reuerti et rursum inter homines uiuere debes, si actus tuos curiosius discutere et mores sermonesque tuos in rectitudine ac simplicitate seruare studueris, accipies et ipse post mortem locum mansionis inter 25 hec, que cernis, agmina letabunda spirituum beatorum. Namque ego, cum ad tempus abscessissem a te, id ad hoc feci, ut, quid de te fieri deberet, agnoscerem.“ Hęc mihi cum dixisset, multum detestatus sum reuerti ad corpus, delectatus nimirum suauitate ac decore loci illius, quem intuebar, simul et consortio eorum, 30 quos in illo uidebam. Nec tamen aliquid ductorem meum rogare audebam; sed inter hec nescio quo ordine repente me inter homines uiuere cerno“.

Hęc et alia, que uiderat, idem uir domini non 35 omnibus passim desidiosis ac uitę suę incuriosis referre uolebat, sed illis solummodo, qui uel tormentorum metu perterriti uel spe gaudiorum perennium delectati profectum pietatis ex eius uerbis haurire uolebant.

## 1. De primis Karolingis.

Gens Meroingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti erant, usque in Hildrichum regem, qui iussu Romani pontificis depositus ac detonsus atque in monasterium trusus est, durasse putatur. Que licet in illo finita possit uideri, tamen iam dudum 5 nullius uigoris erat, nec quicquam in se clarum pręter inane regis uocabulum preferebat. Nam et opes et potentia regni penes palatii prefectos, qui *maiores domus* dicebantur, et ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur; neque regi aliud relinquebatur, quam 10 ut, regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba sumissa, solio resideret ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumque uenientes audiret eisque abeuntibus responsa, que erat edoctus uel etiam iussus, ex sua uelut potestate redderet, cum pręter inutile 15 regis nomen et precarium uitę stipendum, quod ei prefectus aule, prout uidebatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret quam unam et eam preparui reditus uillam, in qua domum et ex qua famulos, sibi necessaria ministrantes atque obsequium exhibentes, paucę 20 numerositatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis et bubulco rustico more agente trahebatur: sic ad palatum, sic ad publicum populi sui conuentum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire 25 solebat. At regni administrationem et omnia, que uel domi uel foris agenda ac disponenda erant, prefectus aule procurabat.

Quo officio tum, cum Hildrichus deponebatur, Pippinus, pater Karoli regis, iam uelut hereditario 30 fungebatur. Nam pater eius Karolus, cognomine Martellus, qui tyrannos per totam Franciam dominatum sibi uindicantes oppressit et Sarracenos Galliam occupare temptantes duobus magnis pręliis ita deuicit, ut

in Hispaniam eos redire compelleret, eundem magistratum a patre Pippino sibi dimissum egregie administrauit. Qui honor non aliis a populo dari consueuerat quam his, qui et claritate generis et opum amplitudine 5 ceteris eminebant. Hunc cum Pippinus, pater Karoli regis, ab auo et patre sibi et fratri Karlomanno relictum, summa cum eo concordia diuisum aliquot annis uelut sub rege memorato tenuisset, frater eius Karlmannus, incertum quibus de causis, operosa 10 temporalis regni administratione relicta Romam se in otium contulit ibique habitu permutato monachus factus est. Qui post aliquot annos ad monasterium Sancti Benedicti, situm in castro Casino, secessit et ibi, quod reliquum erat temporalis uite, religiose 15 conuersando compleuit. Pippinus autem, per auctoritatem Romani pontificis ex prefecto palatii rex constitutus, cum per annos XV aut eo amplius Francis solus imperaret, apud Parisios morbo aquæ intercutis diem obiit, superstitibus liberis Karolo et Karlomanno, 20 ad quos successio regni diuino nutu peruererat; Franci siquidem, facto sollempniter generali conuentu, ambos sibi reges constituunt, ea condicione premissa, ut totum regni corpus ex equo partirentur. Et Karlmannus quidem post administratum communiter biennio 25 regnum morbo decessit; Karolus autem, fratre defuncto, consensu omnium Francorum rex constituitur.

## 2. De Karolo Magno.

Multa bella rex potentissimus per annos XLVII, quibus regnauit, in diuersis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit; quibus regnum 30 Francorum, quod post patrem Pippinum magnum quidem et forte suscepérat, ita nobiliter ampliauit, ut pene duplum illi adiecerit. Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis. Cum Aaron, rege Persarum, qui excepta 35 India totum pene tenebat orientem, talem habuit in

amicitia concordiam, ut is gratiam eius omnium, qui in toto orbe terrarum erant, regum ac principum amicitię preponeret solumque illum honore ac munificentia sibi colendum iudicaret; ac proinde, cum legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum domini 5 ac saluatoris nostri sepulchrum locumque resurrectionis miserat, ad eum uenissent et ei domini sui voluntatem indicassent, non solum, quę petebantur, fieri permisit, sed etiam sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit; et reuertentibus 10 legatis suos adiungens, inter uestes et aromata et ceteras orientalium terrarum opes ingentia illi dona direxit, cum ei ante paucos annos eum, quem tuhc solum habebat, roganti mitteret elefantum. Imperatores etiam Constantinopolitani, ultro amicitiam et societatem 15 eius expetentes, complures ad eum misere legatos; cum quibus, quamquam propter susceptum a se imperatoris nomen eis, quasi qui imperium ipsis eripere uellet, ualde suspectus erat, fēdus tamen firmissimum statuit, ut nulla inter partes cuiuslibet 20 scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis et Gręcis Francorum suspecta potentia; unde et illud Gręcum extat prouerbium: *Francum amicum habeas, uicinum non habeas.*

Opera plurima ad regni decorem et commoditatem 25 pertinentia diuersis in locis inchoauit, quedam etiam consummauit. Inter quę p̄cipua non immerito uideri possunt basilica sancte dei genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa et pons apud Mogontiacum in Rheno quingentorum passuum longitudine; qui tamen 30 uno antequam decederet anno incendio conflagrauit nec refici potuit propter festinatum illius decessum, quamquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoauit et palatia operis egregii, unum haud longe a Mogontiaco ciuitate, 35 iuxta uillam, cui uocabulum est Ingelenheim, alterum Nouiomagi super Vahalem fluuium, qui Batauorum insulam a parte meridiana p̄terfluit. P̄cipue tamen

edes sacras, ubicumque in toto regno suo uetustate conlapsas comperit, pontificibus et patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarent, imperauit, adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent. Molitus est et classem contra bellum Nordmannicum, edificatis ad hoc nauibus iuxta flumina, quæ et de Gallia et de Germania septemtrionalem influunt oceanum; et quia Nordmanni Gallicum litus atque Germanicum assidua infestatione uastabant, per omnes portus et ostia fluminum, quâ naues recipi posse uidebantur, stationibus et excubiis dispositis, ne qua hostis exire potuisset, tali munitione prohibuit. Fecit idem a parte meridiana in litore prouincie Narbonensis ac Septimaniæ, toto etiam Italique litore usque Romam, contra Mauros nuper pyraticam exercere adgressos; ac per hoc nullo fere graui damno uel a Mauris Italia, uel Gallia atque Germania a Nordmannis diebus suis adfecta est.

Iam ut quedam ad mores eius et ad interiorem atque domesticam uitam pertinentia attingamus, post mortem patris cum fratre regnum partitus tanta pacientia simultates et inuidiam eius tulit, ut omnibus mirum uideretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuisset. Matrem suam Berthradam cum summa reuerentia semper colebat, ita ut nulla fere umquam inuicem sit exorta discordia, eaque in magno apud eum honore consenuit; quam defunctam ille in eadem basilica, qua pater situs est, apud Sanctum Dionisium, magno cum honore fecit humari. Erat ei unica soror, nomine Gisla, a puellaribus annis religiose conuersationi mancipata, quam similiter ut matrem magna coluit pietate; quæ paucis ante obitum illius annis in eo, quo conuersata est, monasterio decessit. De duabus deinceps uxoribus, Hildigarda et Fastrada, item de pluribus concubinis multos genuit liberos, quos ita censuit instituendos, ut tam filii quam filię primo liberalibus studiis, quibus et ipse operam dabat, erudirentur; tum filios, cum primum ètas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac uenatibus exerceri

fecit, filias uero lanificio adsuescere coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Filiorum ac filiarum tantam in educando curam habuit, ut numquam domi positus sine ipsis cenaret, numquam iter sine illis faceret: adequitabant ei filii, filię uero pone sequebantur, quarum agmen extreum satellites ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cum pulcherrime essent et ab eo plurimum diligenterunt, mirum dictu, quod nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare uoluit, sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens se earum contubernio carere non posse. Ac propter hoc, licet alias felix, aduersę fortunę malignitatem expertus est; quod tamen ita dissimulauit, ac si de eis nulla umquam alicuius probri suspicio exorta uel fama dispersa fuisset.

Corpo fuit amplio atque robusto, statura eminenti, quæ tamen iustum non excederet (— nam septem suorum pedum mensuram proceritatem eius constat 20 habuisse —), apice capitis rotundo, oculis pregrandibus et uegetis, naso paululum mediocritatem excedenti, canitie pulchra, facie leta et hilari. Unde forme auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima adquirebatur; quamquam ceruix obesa et breuior 25 uenterque projectior uideretur, tamen hec ceterorum membrorum celabat equalitas. Incessu fuit firmo totaque corporis habitudine uirili; uoce clara quidem, sed quæ minus corporis formę conueniret; ualitudine prospera, præter quod, antequam decederet, per quattuor 30 annos crebro febribus corripiebatur, ut ad extreum etiam uno pede claudicaret. Et tunc quidem plura suo arbitratu quam medicorum consilio faciebat, quos pene exosos habebat, quod ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere et elisis adsuescere suadebant. Exercebatur assidue equitando ac uenando, quod illi gentilicium erat, quia uix ulla in terris natio inuenitur, quæ in hac arte Francis possit equari. Delectabatur

etiam uaporibus aquarum naturaliter calentium, frequēti natatu corpus exercens; cuius adeo peritus fuit, ut nullus ei iuste ualeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam exstruxit ibique extremis uitę annis 5 usque ad obitum perpetim habitauit. Et non solum filios ad balneum, uerum optimates et amicos, aliquando etiam satellitum et custodum corporis turbam inuitauit, ita ut nonnumquam centum uel eo amplius homines una lauarentur.

10 Vestitu patrio, id est Francico, utebatur; peregrina uero indumenta, quamuis pulcherrima, respuebat, nec umquam eis indui patiebatur, excepto quod Rome, semel Adriano pontifice petente et iterum Leone successore eius supplicante, longa tunica et chlamide 15 amictus, calceis quoque Romano more formatis induebatur. In festiuitatibus ueste auro texta et calciamentis gemmatis et fibula aurea sagum adstringente, diadema quoque ex auro et gemmis ornatus incedebat; aliis autem diebus habitus eius parum a communi ac ple- 20 beio abhorrebat.

In cibo et potu temperans, sed in potu temperan-  
tior, quippe qui ebrietatem in qualicumque homine,  
nedum in se ac suis, plurimum abominabatur; cibo  
enim non adeo abstinere poterat, ut sepe quereretur  
25 noxia corpori suo esse ieunia. Conuiabatur rarissime,  
et hoc pr̄cipuis tantum festiuitatibus, tunc tamen cum  
magno hominum numero. Cena cotidiana quaternis  
tantum ferculis pr̄bebatur, pr̄ter assam, quam uenatores  
30 ueribus inferre solebant; qua ille libentius quam  
ullo alio cibo uescebatur. Inter cenandum aut aliquod  
acroma aut lectorem audiebat; legebantur ei historię  
et antiquorum res gestę; delectabatur et libris sancti  
Augustini pr̄cipueque his, qui *De ciuitate Dei* pr̄-  
tulati sunt. Vini et omnis potus adeo parcus in  
35 bibendo erat, ut super cenam raro plus quam ter  
biberet. Estate post cibum meridianum pomorum  
aliquid sumens ac semel bibens, depositis uestibus et  
calciamentis, uelut noctu solitus erat, duabus aut

tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater aut quinques non solum expurgescendo sed etiam desurgendo interrumperet.

Erat eloquentiā copiosus et exuberans, poteratque, quicquid uellet, apertissime exprimere; nec patrio 5 tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut eque illa ac patria lingua orare sit solitus; Gr̄ecam uero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Artes liberales studiosissime coluit, earumque 10 doctores plurimum ueneratus magnis adficiebat hono-ribus. In plerisque disciplinis Albinum, cognomine Alcuinum, de Brittanía Saxonici generis hominem, uirum undecumque doctissimum, pr̄ceptorem habuit. Temptabat et scribere, tabulasque et codicellos ad 15 hoc in lecto sub ceruicalibus circumferre solebat, ut, cum uacuum tempus esset, manum litteris effigiandis adsuesceret; sed parum successit ei labor sero in-choatus. — —

Anno DCCCXIV., cum Aquisgrani hiemaret, mense 20 Januario, febre ualida correptus decubuit. Qui statim, ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli uel certe mitigari; sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Gr̄eci pleuresin dicunt, illoque adhuc inediā 25 retinente neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacra communione percepta, decessit, anno etatis sue septua- gesimo secundo et, ex quo regnare ceperat, quadra- gesimo septimo, v. Kalendas Februarii, hora diei 30 tertia. Corpus more sollempni lotum et curatum et maximo totius populi luctu ecclesię inlatum atque humatum est. Dubitatum est primo, ubi reponi deberet, eo quod ipse uiuus de hoc nihil pr̄cepisset; tandem omnium animis sedit, nusquam eum honestius 35 tumulari posse quam in ea basilica, quam ipse propter amorem dei et domini nostri Iesu Christi et ob honorem sanctę et eterne uirginis, genitricis eius,

proprio sumptu in eodem uico construxit. In hac sepultus est eadem die, qua defunctus est, arcusque supra tumulum deauratus cum imagine et titulo exstructus. Titulus ille hoc modo descriptus est: Sub 5 hoc conditorio situm est corpus Karoli magni atque orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliauit et per annos XLVII feliciter rex. Decessit septuagenarius, anno domini DCCCXIII, v. 10 Kal. Febr.

### MONACHVS SANGALLENSIS.

#### Fabulæ de Karolo Magno.

Karolus cum regnare cepisset, et studia litterarum in omni regno suo propemodum essent in obliuione, contigit duos Scottos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad litus Gallie uenire, uiros et in secularibus 15 et in sacris scripturis incomparabiliter eruditos. Qui cottidie, cum nichil ostenderent uenale, ad conuenientes emendi gratia turbas clamare solebant: „Si quis sapientię cupidus est, ueniat ad nos et accipiat eam; nam uenalis est apud nos.“ Quam idcirco uenalem se 20 habere professi sunt, quia populum non gratuita sed uenalia querere uiderunt. Tam diu clamata sunt ista, donec ab admirantibus uel insanos illos putantibus ad aures Karoli regis, semper amatoris et cupidissimi sapientię, perlata fuissent. Qui statim eos ad suam 25 presentiam euocatos interrogauit, si uere, ut ipse famâ compererit, sapientiam secum haberent. Qui dixerunt: „Et habemus eam et in nomine domini digne querentibus dare parati sumus.“ Et cum inquisisset ab eis, quid pro ipsa precii peterent, responderunt: „Non 30 precium quidem, sed loca tantum oportuna et animas ingeniosas, o rex, petimus, et alimenta quidem et quibus tegamur.“ Tum ille, ingenti gaudio repletus,

primum quidem apud se utrumque paruo tempore tenuit; postea uero, cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum, nomine Clementem, in Gallia residere fecit, cui et pueros nobilissimos, mediocres et infimos satis multos commendauit et eis, prout neces- 5 sarium habuerunt, uictualia ministrari precepit, habitaculis oportunis ad meditandum deputatis. Alterum uero in Italiam direxit, cui et monasterium sancti Augustini iuxta Ticinensem urbem delegauit, ut illuc ad eum, qui uoluissent, ad discendum congregari 10 potuissent.

Cumque uictoriosissimus Karolus post longum tempus in Galliam reuenteretur, precepit ad se uenire pueros, quos Clementi commendauerat, et offerre sibi epistolas et carmina sua. Mediocres igitur et infimi 15 preter spem omnibus sapientię condimentis dulcoratas obtulerunt, nobiles uero omni fatuitate tepentes presentarunt. Tunc sapientissimus Karolus, eterni iudicis iusticiam imitatus, bene operatos ad dexteram segregatos his uerbis alloquitur: „Multas gratias habete, 20 filii, quia iussionem meam in utilitatem uestram iuxta possibilitatem exequi intenti fuistis. Nunc ergo ad perfectum attingere studete; et dabo uobis episcopia et monasteria permagnifica, et semper honorabiles eritis in oculis meis.“ Deinde ad sinistros magna 25 cum seueritate uultum contorquens et flammante intuitu conscientias eorum concutiens, yronice hec terribilia uerba tonando potius quam loquendo iaculatus est in illos: „Vos nobiles, uos primorum filii, uos delicati et formosuli, in natalibus uestris et 30 possessionibus confisi, mandatum meum et glorificationem uestram flocci pendentes, litterarum studiis neglectis, luxurię ludo et inertię uel insanię exercitiis indulsistis.“ Et his premissis sub iuramento, augustum caput et inuictam dexteram ad celos conuertens, sic 35 in eos fulminauit: „Per regem celorum! non ego magni pendo nobilitatem et pulchritudinem uestram, licet in his alii uos admirentur; et hoc pro certo

scitote, quia, nisi cito priorem neglegentiam uigilanti studio recuperaueritis, apud Karolum numquam boni aliquid acquiretis."

Gloriosissimus Karolus, per totum regnum suum 5 studia litterarum florere conspiens, sed ad maturitatem patrum precedentium non peruenire dolens, in hanc tedium uocem erupit: „O utinam haberem duodecim clericos tales, ita doctos et omni sapientia tam perfecte instructos, ut fuerunt Hieronimus et 10 Augustinus!“ Ad quod doctissimus Albinus, ex ipsorum comparatione merito indoctissimum se iudicans, maxima indignatione concepta, sed parumper ostensa, respondit: „Creator celi et terre similes illis plures non habuit; et tu uis habere duodecim!“

15 Fuit quidam episcopus, uanę glorie et inanium rerum ualde cupidus. Quod sagacissimus Karolus deprehendens precepit cuidam Iudeo mercatori, qui terram repromotionis sepius adire et inde ad cismarinias prouincias multa preciosa et incognita solitus 20 erat afferre, ut eundem episcopum quolibet modo deciperet aut illuderet. Qui, comprehendens unum murem domesticum, diuersis aromatibus eum conduxit et prefato episcopo uenalem apportauit, dicens se de Iudea illud preciosissimum animal et ante non uisum 25 adtulisse. Ille, ad rem tantam gaudio repletus, optulit ei tres libras de argento, ut carissimum illud munus deberet accipere. Tunc dixit Iudeus: „Quam decorum precium pro tam caro munere! Potius hoc in profundum maris proicio, quam quilibet hominum tam 30 uili precio illud acquirat.“ Ille, qui multa habebat et nichil pauperibus umquam prebuerat, promisit ei decem libras, ut incomparabilem illam rem posset

accipere. Tunc astutus homo ille, indignatione simulata, dixit: „Nolit deus Abraham, ut ita perdam laborem meum et subuectionem meam!“ Tunc auarus ille episcopus, tam carum munus inhians, proposuit ei uiginti libras. Iudeus ergo turbidus murem preciosissimo serico inuoluens cepit abire. Episcopus uero, quasi deceptus (sed uere decipiendus!), reuocauit eum et dedit ei plenum modium de argento, ut preciosissimo illo munere potiri potuisset. Tandem igitur mercator ille, multis precibus ambitus, uix concessit; 10 et acceptum argentum imperatori pertulit et omnia supradicta narrauit. Post dies autem non multos conuocauit rex omnes episcopos et proceres eiusdem prouincie ad colloquium suum; et post multa necessaria pertractata precepit afferri totum illud argentum 15 et in medio palacio poni. Tunc sic pronuncians ait: „Vos, patres et prouisores nostri, episcopi: pauperibus, immo Christo in ipsis, debuistis ministrare, non inanibus rebus inhiare. Nunc autem, in contrarium cuncta uertentes, cenodoxię uel auaricię super omnes mortales 20 intenditis.“ Et adiecit: „Unus uestrum tantum argenti pro mure uno domestico pigmentato cuidam dedit Iudeo!“ Ille autem, qui tanto flagicio deceptus erat, ad pedes eius corruens ueniam pro commisso precebat. Quem ipse, digna inuectione coercitum, con- 25 fusum permisit abire.

Karolus cum de sede belli Saxonici legatos ad regem Constantinopoleos destinaret, interrogauit ille, utrum pacatum esset regnum filii sui Karoli, uel si a finitimis gentibus incursaretur. Cumque missorum primus alias omnia pacata referret, nisi quod gens quedam, qui Saxones uocitantur, creberrimis latrociniis Francorum fines inquietarent, dixit homo torpens ocio nec utilis belli negocio: „Hiū, quare laborat filius meus contra hostes paucissimos nullius nominis 35

nulliusque uirtutis? Habeas tu gentem illam cum omnibus ad eam pertinentibus!“ Quod cum reuersus bellicosissimo Karolo narraret, arridens ille dixit ei: „Multo melius tibi rex ille consuluisset, si unum 5 lineum femorale ad tantum iter tibi tribuisset.“

Non uidetur occultanda sapientia, quam sapienti Gręcię idem missus aperuit. Cum autumnali tempore ad urbem quandam regiam cum sociis uenisset, alius 10 alio diuisis ipse cuidam episcopo commendatus est. Qui cum ieuniis et orationibus incessanter incumberet, legatum illum pene continua mortificauit inedia. Vernali autem temperie iam aliquantulum arridente presentauit eum regi. Qui interrogauit eum, qualis sibi idem uideretur episcopus. At ille, ex imis pre-

15 cordiis alta suspiria trahens: „Sanctissimus est“ ait „ille uester episcopus, quantum sine deo possibile est.“ Ad quod stupefactus rex: „Quomodo“ inquit „sine deo aliquis sanctus esse potest?“ Tum ille: „Scriptum est“ inquit: „Deus charitas est; qua iste uacuus est.“

20 Tunc rex uocauit eum ad conuiuum suum et inter medios proceres collocauit. A quibus talis lex constituta erat, ut nullus in mensa regis, indigena siue aduenia, aliquod animal uel corpus animalis in partem aliam conuerteret, sed ita tantum, ut positum 25 erat, de superiori parte manducaret. Allatus est autem piscis fluuiialis pigmentis infusus, in disco positus. Cumque hospes idem, consuetudinis illius ignarus, pisces illum in partem alteram giraret, exsurgentes omnes dixerunt ad regem: „Domine, ita 30 estis inhonorati hodie, sicut numquam anteriores uestri.“ At ille ingemiscens dixit ad legatum illum: „Obstare non possum istis, quin morti continuo tradaris. Aliud pete, quodcumque uolueris, et complebo.“

Tunc ille, parumper deliberans, cunctis audientibus 35 in hęc uerba prorupit: „Obsecro, domne imperator, ut secundum promissionem uestram concedatis mihi unam peticionem paruulam.“ Et rex ait: „Postula, quodcumque uolueris, et impetrabis, pręter quod contra legem

Gręcorum uitam tibi concedere non possum.“ Tum ille: „Hoc“ inquit „unum moriturus flagito, ut, qui cumque me pisces illum girare conspexit, oculorum lumine priuetur.“ Obstupefactus rex ad talem conditionem iurauit per Christum, quod ipse hoc non uidisset, sed tantum narrantibus crederet. Deinde regina ita se cepit excusare: „Per letificam theotocon, sanctam Mariam, ego illud non aduerti.“ Post reliqui proceres, alius ante alium tali se periculo exuere cupientes, hic per clauigerum celi, ille per doctorem 10 gentium, reliqui per uirtutes angelicas sanctorumque omnium turbas ab hac se noxa terribilibus sacramentis absoluere conabantur. Tum sapiens ille Francigena, uanissima Hellade in suis sedibus exsuperata, uictor et sanus in patriam suam reuersus est.

## PAVLVS WARNEFRIDI FILIVS.

### 1. Pauli de proauo suo narratio.

Eo tempore, quo Langobardorum gens de Pannoniis ad Italiam uenit, Leupichis, meus proauus, ex eodem Langobardorum genere cum eis pariter aduentauit. Qui postquam aliquot annos in Italia uixit, diem claudens extreum quinque ex se genitos filios adhuc paruulos 20 reliquit; quos tempestas illa captiuitatis, que Hunnis siue Auaris in Italiam inrumpentibus multos Langobardorum comprehendit, omnes ex castro Foroiulensi in Auarorum patriam exsules deduxit. Qui cum per multos annos in eadem regione captiuitatis miseriam sustinuissent et iam ad uirilem peruenissent etatem, ceteris quattuor, quorum nomina non retinemus, in captiuitatis angustia persistentibus, quintus eorum germanus, nomine Leupichis, qui noster postea proauus extitit, inspirante sibi, ut credimus, misericordię auctore, 30 captiuitatis iugum abicere statuit et ad Italiam, quo

gentem Langobardorum residere meminerat, tendere atque ad libertatis iura studuit repedare. Quod cum adgressus fugam arripuissest, faretram tantum et arcum et aliquantulum cibi propter uiaticum gerens, nesciretque 5 omnino, quo pergeret, ei lupus adueniens comes itineris et ductor effectus est. Qui cum ante eum pergeret et frequenter post se respiceret et cum stante subsisteret atque cum pergente pergeret, intellexit sibi eum diuinitus 10 datum esse, ut ei iter, quod nesciebat, ostenderet. Cumque per aliquot dies per montium solitudines hoc modo pergerent, panis eidem uiatori, quem exiguum habuerat, omnino defecit. Qui cum ieunans iter carperet et iam fame tabefactus defecisset, tetendit arcum suum et eundem lupum, ut eum in cibum sumere posset, 15 sagitta interficere uoluit. Sed lupus idem ictum ferientis precauens ab eius uisione elapsus est. Ipse autem recedente eodem lupo nesciens, quo pergeret, insuper famis penuria nimium debilis effectus, cum iam de uita desperaret, sese in terram proiciens obdormiuit; 20 uiditque quendam uirum in somnis talia sibi uerba dicentem: „Quid dormis? Arripe uiam in hanc partem, contra quam pedes tenes; illac etenim est Italia, ad quam tendis.“ Qui statim surgens in illam partem, quam in somnis audierat, pergere cepit; nec mora, 25 ad habitaculum hominum peruenit. Erat enim Sclavorum habitatio in illis locis. Quem cum una mulier iam uetula uidisset, statim intellexit eum fugitiuum esse et famis penuria laborare; ducta autem misericordia super eum abscondit eum in domo sua et secreto paulatim ei uictum ministravit, ne, si ei usque ad saturitatem alimoniam preberet, eius uitam funditus extingueret. Denique sic competenter ei pastum prebuit, quousque ipse recuperatus uires accipere potuisset; cumque eum iam ualidum ad iter faciendum uidisset, datis ei cibariis, 30 ei quam partem tendere deberet, admonuit. Qui post aliquot dies Italiam ingressus ad domum, in qua ortus fuerat, peruenit; que ita deserta erat, ut non solum tectum non haberet, sed etiam rubis et sentibus plena

essel. Quibus ille succisis intra eosdem parietes uastam hornum reperiens in ea suam faretram suspendit. Qui postea consanguineorum et amicorum suorum muneribus dotatus et domum reedificauit et uxorem duxit; sed nihil de rebus, quas genitor suus habuerat, exclusus 5 iam ab his, qui eas inuaserant longa et diuturna posses- sione, conquerire potuit. Iste, ut iam superius premisi, extitit meus proauus; hic etenim genuit auum meum Arichis, Arichis uero patrem meum Warnefrit, Warnefrit autem ex Theudelinda coniuge genuit me Paulum 10 meumque germanum Arichis, qui nostrum auum cognomine retulit.

## 2. Caedes regis Alboin.

Orto inter Langobardos Gepidosque bello, commisso prelio Langobardi uictores effecti sunt, tanta in Gepidos ira sequentes, ut ex copiosa multitudine uix nuntius 15 cladis superesset. In eo prelio Alboin, rex Langobardorum, Cunimundum, Gepidorum regem, occidit, caputque illius sublatum ad bibendum ex eo poculum fecit: quod genus poculi apud eos *scala* dicitur, lingua uero Latina *patera* uocatur. Cunimundi filiam, nomine 20 Rosimundam, cum magna simul multitudine diuersi sexus et etatis abduxit captiuam; quam in suam, ut post patuit, perniciem duxit uxorem.

Nam postquam, occupata Italia, tres annos et sex menses ibi regnauit, insidiis sue coniugis interemptus 25 est; causa autem interfectionis eius hec fuit. Cum in conuiuio ultra quam oportuerat apud Veronam letus resideret, cum poculo, quod de capite Cunimundi regis, sui socii, fecerat, regine ad bibendum uinum dari precepit atque eam, ut cum patre suo letanter biberet, 30 inuitauit. Hoc ne cui uideatur impossibile, ueritatem in Christo loquor: ego hoc poculum uidi in quodam die festo Ratchis principem, ut illud conuiuis suis ostentaret, manu tenentem. Igitur Rosimunda, ubi rem animaduertit, altum concepit in corde dolorem; 35 quem conpescere non ualens, mox in mariti necem,

patris funus uindicatura, exarsit consiliumque cum Helmichis, qui regis armiger et conlactaneus erat, ut regem interficeret, iniit. Qui reginę persuasit, ut ipsa Peredeo, qui erat vir fortissimus, in hoc consilium adsciret. Peredeo cum reginę suadenti tanti nefas consensum adhibere nollet, illa se noctu in lectulo sue uestiarie, cum qua Peredeo stupri consuetudinem habebat, supposuit; ubi Peredeo, rem nescius ueniens, cum regina concubuit. Cumque illa, patrato iam scelere, ab eo quereret, quam se esse existimaret, et ipse nomen amicę sue, quam esse putabat, nominasset, regina subiunxit: „Nequaquam, ut putas, sed ego Rosimunda sum“, inquit. „Certe nunc talem rem, Peredeo, perpetratam habes, ut aut tu Alboin interficies, aut ipse te suo gladio extinguet.“ Tunc ille intellexit malum, quod fecit; et qui sponte noluerat, tali modo coactus in regis necem adsensit. Tunc Rosimunda, dum se Alboin in meridie sopori dedisset, magnum in palatio silentium fieri precipiens, omnia alia arma subtrahens spatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut euaginari posset, fortiter conligauit et iuxta consilium Helmichis Peredeo interfectorem omni bestia crudelior introduxit. Alboin, subito de sopore experrectus, malum, quod imminebat, intellegens manum citius ad spatham porrexit; quam strictius religatam abstrahere non ualens, adprehenso tamen scabello subpedaneo, se cum eo per aliquod spatium defendit. Sed, heu pro dolor! vir bellicosissimus et summe audacie, nihil contra hostem prualens, quasi unus de inertibus imperfectus est; uniusque mulierculę consilio periiit, qui per tot hostium strages bello famosissimus extitit. Cuius corpus cum maximo Langobardorum fletu et lamentis sub cuiusdam scale ascensu, que palatio erat contigua, sepultum est.

### 3. Nuptiae Authari.

Authari, rex Langobardorum, legatos ad Baioarium misit, qui Garibaldi, Baioariorum regis, filiam sibi in

matrimonium peterent. Quos ille benigne suscipiens Theudelindam suam filiam Authari se daturum promisit. Qui legati reuertentes cum hęc Authari nuntiassent, ille, per semet ipsum suam sponsam uidere cupiens, paucis secum ex Langobardis adhibitis unumque sibi fidelissimum quasi seniorem secum ducens sine mora ad Baioariam perrexit. Qui cum in conspectum Garibaldi regis iuxta morem legatorum introducti essent, et is, qui cum Authari quasi senior uenerat, salutationis uerba, ut moris est, intulisset, Authari, cum a nullo illius gentis cognosceretur, ad regem Garibaldum propinquius accedens ait: „Dominus meus Authari rex me proprie ob hoc direxit, ut uestram filiam, ipsius sponsam, que nostra domina futura est, debeam conspicere, ut, qualis eius forma sit, meo ualeam domino certius nuntiare.“ Cumque rex hęc audiens filiam uenire iussisset, eamque Authari, ut erat satis eleganti forma, tacito nutu contemplatus esset, eique satis per omnia complacuisset, ait ad regem: „Quia talem filię uestre personam cernimus, ut eam merito nostram reginam fieri optemus, si placet uestre potestati, de eius manu, sicut nobis postea factura est, uini poculum sumere preoptamus.“ Cumque rex, id ut fieri deberet, annuisset, illa, accepto uini poculo, ei prius, qui senior esse uidebatur, propinavit. Deinde cum Authari, quem suum esse sponsum nesciebat, porrexisset, et ille, postquam bibit, poculum redderet eius manui, nemine aduertente eam digito tetigit dexteramque suam sibi a fronte per nasum ac faciem produxit. Illa hoc sue nutriti rubore perfusa nuntiavit. Cui nutrix sua ait: „Iste nisi ipse rex et sponsus tuus esset, te omnino tangere non auderet. Sed interim sileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum. Re enim uera digna persona est, que tenere debeat regnum et tuo sociari coniugio.“ Erat autem tunc Authari iuuenali ętate floridus, statura decens, candido crine perfusus et satis decorus aspectu. Langobardi mox, a rege commeatu accepto, iter patriam reuersuri arripiunt deque Baioariorum finibus

festinanter abscedunt. Igitur Authari, cum iam prope Italique fines uenisset secumque adhuc, qui eum deducebant, Baioarios haberet, erexit se, quantum potuit, super equum, cui insidebat, et toto adnisu securiculam, 5 quam manu gestabat, in arborem, quem proximior aderat, fixit eamque fixam reliquit, adiens hec insuper uerba: „Talem Authari feritam facere solet.“ Cumque hec dixisset, tunc intellexerunt Baioarii, qui cum eo comitabantur, eum ipsum regem Authari esse. Denique post 10 aliquod tempus, cum propter Francorum impetum perturbatio Garibaldo regi aduenisset, Theudelinda, eius filia, cum suo germano, nomine Gundoalt, ad Italianam confugit seque aduentare Authari suo sponso nuntiavit. Cui statim ille obuiam, cum magno apparatu nuptias 15 celebraturus, in campum Sardis, qui super Veronam est, occurrens, eandem cunctis letantibus in coniugium accepit.

## OTTO FRISINGENSIS.

### 1. De Attila, Hunorum rege.

Regnante Theodosio secundo Attila, Hunorum rex, occiso fratre Bleda tyrannidem exercendo, Thraciam et 20 Illiricum uastare cepit. Cui Theodosius datis sex milibus libris, promissis quoque singulis annis mille libris, a finibus suis exire persuasit. Non multo post Attila, subiugatis sibi fortissimis Ostrogothorum Gepidarumque populis aliisque plurimis gentibus, dum Romanos 25 quoque ac Wisigothos, quorum priores ob antiquam suę urbis dignitatem, alios uero ob singularis fortitudinis gloriam emulabatur, subiugare cogitat, timens, ne due hec gentes aduersus eum sociarentur, dolo, ut 30 erat uersutissimus, seiungere eas ab inuicem intentebat. Proinde missa legatione tam ad Valentinianum, Romanorum Augustum, quam ad Theodericum, regem Gothorum, utrisque specialiter uerba pacis mandando, Romanis quidem, se non aduersus eos sed contra Gothos

bellum parare, Gothis uero eadem de Romanis denunciavans, utrosque in alterutrum incitare uoluit. Sed Aëtius, qui tunc Romanorum patricius erat, fraudem Attilę persensit, scriptisque ex persona Valentiniani ad Theodericum, regem Gothorum, litteris, ut contra immanissimum tyrannum ac totius orbis inuasorem ambo conuenirent, eum quam intime monuit. Igitur Attila, dum hoc modo procedere non posset, bellum Gothis aperte indicit; qui, pulsatis per legatos Romanis, Aëtium in auxilium accipiunt. Hic, ascitis sibi Francis, Burgundionibus, Saxonibus multisque aliis Celtice ac Germanie nationibus, Gothis succurrit; Attila uero cum Aldarico Gepidarum et Walamire Ostrogothorum regibus innumerisque regum ac nationum turmis procinctum mouet. In campis ergo Catalaunicis uterque consedit exercitus. Attila euentum rerum in extis percorum perquirit, seque uincendum, sed ex alia parte omnium potentiores casurum, in fidelissimis inuenit presagiis. Qua de re turbatur; sed de hoc, quod ex alia parte uirum potentissimum, quem ipse Aëtium putabat, occidendum intellexit, animatus suos alloquitur, eosque prioribus uirtutis sue fortunis consolandos denunciavans pugnam aggreditur. Romani eminentiorem locum habebant; itaque a nona hora diei fortissimis gentibus acerrime usque ad noctem pugnantibus bellum protenditur. Theodericus autem, Gothorum rex, iuxta quod Attilę predictum erat, hac illacque ad exhortationem suorum discurrens occubuit. Attila in fugam uersus uictum se prodidit, sed noctis beneficio potuit id occultari. Mane facto Goths regem suum requirunt; sed, mortuo inuento, cum Thorismundo, filio regis, in hostem irruere uolunt. Porro Aëtius, timens, ne deletis Hunis Goths in superbiam elati Romanum premerent, uocato ad se Thorismundo: „Fratres“ inquit „tui, qui domi remanserunt, patris morte comperta regnum inuadent. Tu ergo reuertere, ne forte ipsi te preueniant“. Sic Aëtius iuuenem astute circumueniens ea, qua dixi, causa a bello declinare et ad-

propria redire edocuit. Fertur de Attila, quod de subselliis pyram fecisset, cui se, si hostes irruissent, incere cogitauerat. Ceciderunt in hoc famosissimo prælio ex utraque parte cxvi milia, exceptis xv milibus, 5 qui in congressu Francorum et Gepidarum priori nocte corruerant. Thorismundus, a suis rex creatus, consilio Aëtii in patriam reuersus Tholosam ingreditur.

Verum Attila, Gothis recedentibus securus factus, contra Romanos iter deflectit Aquileiamque, Vene-10 tiarum metropolim, que in Adriatico sinu posita est, obsidione cingit. Quam dum multo tempore obsidens capere non uleret, cumque iam exercitus recedere pararet, Attila iuxta muros digrediens ac secum, quid ageret, mente pertractans, cyconias ex urbe fœtus suos 15 trahere uidet. Quo uiso suos ad euersionem urbis amplius accendens: „Hoc“ inquit „omen nobis est; he, inquam, aues, future cladis presage, urbem ruituram deserunt“. Dixit, et instructis machinis omniumque tormentorum generibus adhibitis urbem aggreditur, 20 captamque funditus, ita ut uix uestigia maneant, de- leuit. Ferunt quidam, quod uacuam habitatore urbem inuenerit; elapsi enim per mare, ipso ignorantie, in insula, que Venetia exhinc ex Venetorum inhabita- tione dicitur, translatis secum cum patriarchali sede 25 beati Hermachorę, primi illius urbis episcopi, reliquiis, habitare ceperunt. Attila his elatus successibus cete- ras Venetię urbes peruagando et ad solum usque prosterndo, Mediolanum quoque, Ligurię caput, ac Ticinum, que et Papia, crudeli animaduersione depo- 30 pulatur. Post hęc dum Romam ire intentat, occurrente sibi Leone papa, tam auctoritate ac precibus pontificis fractus quam exemplo Alarici, qui post cap- tam urbem non diu uixit, territus ad propria reuer- titur. Ceterum ab Italia digrediens Honoriam Valen- 35 tiniani principis sororem sibi dari cum rogasset, nec impetrasset, in terram suam cum indignatione reuersus, puellam sibi speciosissimam copulauit. Ob cuius amo- rem dum luxuriosa celebrat conuiua, inebriatur, nocte-

que proxima iuxta puellam resupinus iaceens sanguine proprio effluente de naribus suffocatur, maneque facto a suis mortuus inuenitur. Iusto dei iudicio id factum arbitror, ut, qui semper humanum sanguinem situerat, proprio quoque sanguine suffocatus interiret. 5

Hic est Attila, qui, ut Iordanis ait, in concus- sionem gentium natus in mundo, terrarum omnium metus, superbus incessu oculos circumferens, bellorum amator, ipse manu fortissimus, consilio ualidissimus, supplicantibus exorabilis, propitius semel in fide re- 10 ceptis, forma breuis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simo naso, teter colore fuit.

## 2. De Arnaldo Brixiensi.

Anno MCLV., mense Iunio, Fridericus rex ad Ur- 15 bem tendens circa Viterbiū castrametatur. Quo Ro- manus antistes Adrianus cum cardinalibus suis ueniens ex debito officii sui honorifice suscipitur, grauique aduersus populum suum conuestione utens reuerenter auditus est. Predictus enim populus, ex quo senato- rum ordinem renouare studuit, multis malis pontifices 20 suos affligere temeritatis ausu non formidauit. Accessit ad huius seditiosi facinoris augmentum, quod Arnaldus quidam Brixiensis sub typo religionis et, ut euangelicis uerbis utar, sub ouina pelle lupum gerens, Urbem ingressus, ad factionem istam rudis populi animis per- 25 niciose dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit (immo seduxit) multitudinem. Arnaldus iste, ex Italię ciuitate Brixia oriundus eiusdemque ecclesie clericus ac lector ordinatus, Petrum Abalar- dum olim preceptorem habuerat, uir quidem nature 30 non hebetis, plus tamen uerborum profluuiο quam sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, nouitatis cupidus, cuiusmodi hominum ingenia ad fabri- candas hęreses scismatumque perturbationes sunt prona. Is a studio de Galliis in Italiam reuertens religiosum 35

habitus, quo amplius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum et episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim, nec clericos proprietas 5 tatem nec episcopos regalia nec monachos possessiones habentes aliqua ratione saluari posse; cuncta hęc principis esse, ab eiusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere. Pręter hęc de sacramento altaris baptismoque parvularum non sane traditur sensisse. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixensem ecclesiam perturbaret laicisque terre illius prurientes erga clerum aures habentibus ecclesiasticas maliciose exponeret personas, in magno concilio Romę sub Innocentio habito ab 10 episcopo ciuitatis illius uirisque religiosis accusatur. Romanus ergo pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum uiro silentium decernit; sive factum est. Ita homo ille de Italia fugiens ad Transalpina se contulit, ibique in oppido Alemannię 15 Turego officium doctoris assumens perniciosum dogma aliquot diebus seminauit. Comperta uero morte Innocentii, circa principia pontificatus Eugenii Urbem ingressus, cum eam erga pontificem suum in seditionem excitatam inuenisset, amplius eam in seditionem confitauit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex senatus maturitatis consultatione et ex iuuencium 20 animorum fortitudinis disciplina totum orbem terre olim suum fecerint. Quare reedificandum Capitolium, renouandam senatoriam dignitatem, reformatum equestrem ordinem docuit; nichil in dispositione Urbis ad Romanum pontificem spectare, sufficere sibi ecclesiasticum iudicium debere. In tantum uero huius uenenoę doctrine cepit inualescere malum, ut non solum nobilium Romanorum seu cardinalium diruerentur domus et 25 splendida palatia, uerum etiam quedam de cardinalibus reuerendę personę in honeste, sauciatis quibusdam, a furenti plebe tractarentur. Hęc et his similia cum multis diebus, id est a morte Cęlestini usque ad hęc

tempora, ab eo incessanter et irreuerenter agerentur, cumque sententia pastorum, iuste in eum et canonice prolata, eius iudicio tamquam omnino auctoritatis uacua ab illo contempneretur, tandem in manus quorundam incidens, in Tuscię finibus captus, principis examini 5 reseruatus est et ad ultimum a pŕefecto Urbis ligno adactus, ac, rogo in puluerem redacto funere, ne a stolida plebe corpus eius uenerationi haberetur, cinis in Tyberim sparsus.

### GVILLELMVS TYRIVS

De bellis sacris.

#### 1. Godescalci in Hungaria interitus.

Sacerdos quidam, Godescalcus nomine, natione 10 Theutonicus, Petri Heremite sequens uestigia, eiusdem peregrinationis accensus desiderio exhortatione sua multos ex uniuerso Theutonicorum regno ad idem opus animauerat. Collectisque uię consortibus, quasi ad quindecim milia, Hungarię fines, sine difficultate ad 15 missus, ingressus est. Ubi cum eius exercitu uenalia de mandato regio bonis conditionibus ab Hungaribus exhiberentur, alimentorum abutentes opulentia et ebrietati uacantes ad inferendas enormes indigenis se contulerunt iniurias, ita ut pŕedas exerceant, uenalia foris 20 illata publicis uiolenter diriperent et stragem committerent in populo, neglectis legibus hospitalitatis. Quod domino regi postquam innotuit, ira succensus regnum uniuersum pŕecipit conuocari, et in ultionem tantarum iniuriarum armari populum imperat et maiores etiam 25 regionis. Commiserant enim grauia in locis quampluribus turpiaque nimis et relatione indigna, que non nisi cum subiectorum odio et timiditatis nota rex poterat dissimulare. Conuocata igitur totius regni militia, tamquam in hostes et suprema dignos animi 30 aduersione unanimiter ruunt pŕecipites, pro tantis ex-

cēssibus mortem irrogaturi. Tandemque apud locum, cui nomen Bellagraua est, qui locus in umbilico regni eorum positus est, prēdicatorum insensatorum confusam reperiunt multitudinem. Qui, prēcognito regis aduentu 5 et de eius indignatione non ignari, malam uerentes conscientiam arma corripuerant, quasi uim ui repellere parati. Quos postquam Hungari armis incumbentes uiderunt et ad resistendum animatos, perpendentes, quod non sine multa suorum strage poterant eis uim 10 inferre (— erant quippe fortis uiri, armorum usum habentes, quique non facile uellent gratis animas ponere —), more suo dolis tentant peragere, quod uiribus nequeunt. Missa enim legatione ad prēdictum Godescalcum et exercitus primates, uerbis pacificis eis 15 locuti sunt in dolo dicentes:

„Peruenit ad dominum regem de uestro exercitu grauis querimonia, quod populo sibi subditō graues nimis et enormes intuleritis molestias, iniqua lege uestros hospites, qui uos benigne tractauerant, remunerantes. 20 Tamen domini regis plenius nouit prudentia, quod non estis omnes horum commissorum rei, sed certum habet inter uos viros prudentes esse et timentes deum, quibus aliorum displicet enormitas, et quibus inuitis et renitentibus commissa sunt, que dominum regem merito 25 ad iracundiam prouocarunt. Unde aliquorum crimen timens in omnes refundere, ne iustum inuoluat cum impio, decreuit ire suę modum imponere et christiane consortibus professionis parcere in p̄senti. Unde consulimus, ut eius omnino quiescat indignatio, quod 30 et personas uestras et omnem, quam hic habetis, substantiam, arma quoque, in manus domini regis sine aliqua conditione tradatis. Alioqui nec unus solus ex uobis mortem poterit euadere, cum in medio regni eius constituti nec uiribus pares sitis, nec fugiendi 35 habeatis potestatem.“

Godescalcus igitur et legionum primicerii, quibus ab initio contumacis populi displicebat insania, de regia benignitate prēsumentes, in simplicitate spiritus popu-

lum, totis uiribus renitentem et pro uita decertare paratum, in eam quasi uiolenter traxerunt sententiam, ut cum armis et omni eorum substantia in potestatem domini regis se traderent, pro his omnibus, quibus eum offenderant, satis facientes. Acquieuit tandem 5 populus uniuersus, et armis traditis uniuersaque eorum substantia regis procuratoribus resignata, dum ueniam exspectant, mortem inueniunt. Irruentes enim Hungari in populum, nil tale uerentem armorumque solacio destitutum et de regis clementia non immerito prēsumentem, non distinguentes iustum ab impio stragam immanissimam exercuerunt, ita ut interemptorum funeribus et cruento occisorum locus pollueretur uniuersus, et tantę multitudinis uix superessent uestigia. Euaserunt tamen aliqui commune periculum, et, preuiā domini 15 misericordiā, Hungarorum gladios declinantes et ad propria reuersi de suorum strage et sinistro casu, qui acciderat, eos, qui profecturi erant et eiusdem uię notis tenebantur obligati, reddiderunt instructiores, monentes, ut, prēdicti nequam populi suspectam semper habentes 20 maliciam, prudentius incedant et cautius discant ne-gotiarī.

## 2. Suenonis, Danorum principis, interitus.

Dum Christiani, qui crucem assūmperant, Antiochiam obsiderent, de partibus Romanię rumor quidam merore plenus et anxietate uniuersorum corda perculerat 25 et presentibus obsidionis miseriis adiecerat cumulum tristiorem. Dicebatur enim (et uere sic erat), quod quidam nobilis homo et potens, Danorum regis filius, Sueno nomine, uir genere, moribus et forma conspicuus et illustris, eiusdem peregrinationis accensus desiderio, 30 mille quingentos optime armatos eiusdem nationis iuuenes secum trahens, in subsidium nostris ad presentem properabat obsidionem. Hic, de regno patris tardior egressus, plurimum accelerauerat, ut se prēdentibus cum omni suo comitatu adiungeret legionibus; 35 sed causis prēeditus familiaribus non potuit assequi,

quod optauerat. Seorsum ergo trahens agmina solus, absque alicuius aliorum consortio principum, iter arripuerat, et uiam aliorum secutus peruererat Constantino-polim, ubi ab imperatore satis honeste tractatus fuerat; 5 et cum incolumitate Nicęam perueniens, in partes Romanię, ad exercitum properans, cum omni suo comitatu descenderat. Dumque inter urbes Finiminis et Termam castrametatus esset et minus prouide se haberet aliquantulum, irruentibus super eum clam et de nocte 10 Turcorum ingentibus copiis, in ipsis castris circumuenti sunt. Tamen aduenientium strepitu pre cognito, sed nimis e uicino, ad arma conuolant; ubi, antequam plenius instructi hostes possent excipere, ab improuisa oppressi multitudine pene omnes ceciderunt. Sed tamen 15 diu et uiriliter resistentes, ne gratis animas uiderentur impendisse, cruentam post se hostibus reliquerunt uictoram.

### 3. Expugnatio Antiochiæ.

Adueniente nostrorum exercitu, pene omnes ciuitatis Antiochię habitatores fideles adhuc Christiani 20 erant, sed nullam in ciuitate habentes potestatem. Nam, eis negotiationi et aliis mechanicarum, artium officiis uacantibus, solis Turcis et infidelibus militare licebat et maiores ciuitatis administrare dignitates; unde nec arma eis licebat tractare, nec ad curam rei 25 militaris admittebantur. Et maxime postquam de aduentu occidentalium Christianorum rumor ad Acxi-anum, principem ciuitatis, peruererat, ita suspecti habebantur, presertim postquam urbem uallauerat ob-sidio, ut etiam nonnisi certis horis de domibus exire 30 et prodire in publicum liceret. Erant autem ex eis in ciuitate familie ualde nobiles, antiquam ducentes ex generosis proauis sanguinis dignitatem; inter quas erat tribus una generositate insignis, que dicebatur Beni Zerra, quod in lingua Latina interpretatur: *filii 35 loricatoris*, inde nomen habens, quod quidam ex eis hanc artem a primo eorum parente per successionem

traditam adhuc exercerent. His in parte ciuitatis occiden-tali secus portam S. Georgii turris una, que uulgari appellatione dicitur *Duarum sororum*, erat deputata, ut in ea arti sue, que domino et ciuitati plurimum uidebatur utilis, quietius uacarent; erantque in ea familia 5 duo fratres, quorum maior, et qui contribulium suorum et familię princeps erat, dicebatur Emirfeirus, uir potens plurimum et urbis domino multa familiaritate coniunctus. Hic autem, quoniam uir erat ualde uafer, audiens, quod dominus Boamundus princeps magnificus 10 esset et illustris et in omnibus, que exterius gerebantur, primas haberet partes, statim post urbem obsidione uallatam per fideles internuncios eius sibi conciliauerat gratiam totoque obsidionis tempore diebus pene singulis de statu ciuitatis et Acxiani proposito eum 15 reddebat doctiorem. Dissimulabat autem, quantum poterat, sicuti uir discretus erat et prudens, hanc, quam cum domino Boamundo contraxerat, familiaritatem; Boamundus quoque uersa uice hanc boni uiri occultabat amicitiam et arcanum penes se quasi sepul-20 tum comprimebat. Per septem autem menses plerumque de eo, quomodo ciuitas christianę restitueretur libertati, exclusis immundis canibus, quorum uiolenta dominatione premeretur, sermo habitus est inter eos familiaris; tandemque ille, certis propositis conditioni-25 bus, promisit Boamundo, se turrim illam munitissimam, cuius plenam haberet potestatem, ei traditurum esse, unde Christianis obsidentibus liber in ciuitatem esse posset introitus.

Ab ea igitur die dominus Boamundus pretentare 30 cepit sollicitus et singulorum principum corda per-cunctari diligenter, quidnam, si urbs obsessa caperetur, de ea disposerent, celans tamen propositum nisi apud eos, de quibus certum habebat, eos suis grato assensu obtemperaturos desideriis; uolebat enim sibi amici sui 35 studio traditam propriam uindicare ciuitatem. Cumque intellegereret se apud quosdam illorum non multum posse proficere, rem distulit usque in tempus magis

opportunum; familiaritatem tamen cum uiro p̄dicto muneribus et obsequiis prosequebatur. Interea Acxianus legatos subsidium postulaturos in Persidem miserat, magnique iam Persarum Turcorumque exercitus Antiochiae appropinquare dicebantur. Conuenientibus igitur ducibus Christianorum super hac re consultaturis, dominus Boamundus maiores principes, dominum scilicet ducem Godefridum et dominum Flandrensum comitem Robertum, dominum item Robertum comitem Normanorum, dominum quoque Raymundum Tolosanum comitem, seorsum a turba secretius conuocat et in loco familiari constitutos alloquitur, dicens: „Mihi uidetur, patres reuerendissimi, quod circa illud omnis nostra deberet sollicitudo uersari, ut ante horum tantorum hostium aduentum ciuitas in nostram ueniret ditionem. Quod si modum queritis, quo hoc nostrum tale consilium effectui ualeat mancipari, ne impossibilia uideamur suggestere, in promptu est nobis uiam aperire, qua facile ad finem perueniatur optatum. Amicum habeo in ciuitate fidelem, quantum humanus diuidicare ualet oculus, et prudentem plurimum. Hic, secundum quod aliquibus ex uobis iam me retulisse memini, turrim habet in sua potestate munitissimam, quam sub certis conditionibus, quando id ab eo exegero, fide obligatus mihi resignare tenetur; pro quo facto multam illi pactus sum pecuniam dare, sibique et heredibus eius in perpetuum non modica p̄dria et libertatem omnimodam, quasi pro labore salarium, si res optatum sortiri poterit euentum, fide interposita compromisi. Si ergo uestre uidetur amplitudini, ut nostro studio capta ciuitas in nostram, iure hereditario in perpetuum possidenda, transeat iurisdictionem, paratus sum cum p̄dicto familiari meo pacta complere. Sin autem, elaboret uestrum quilibet, quocumque studio urbem poterit obtinere, et habeat eam sibi in omni pace quietam: ego illi cedo et iuri meo renuncio.“

His dictis, principes gauisi sunt gaudio magno, petitioni eius assensum p̄bentes, excepto comite Tolo-

sano, qui partes suas se nemini cedere proterue nimis asseuerabat. Ceteri uero Boamundo urbem cum suis pertinentiis iure hereditario possidendam concedunt in perpetuum, compromittentes adiuicem et datis dextris se obligantes, quod sibi creditum nemini reuelarent 5 arcanum; dominumque Boamundum monent et hortantur attentius, quatenus ad rei consummationem tota incubat sollicitudine, neue periculosam intercedere patiatur moram. Soluto itaque conuentu ille, sicut uir erat more impatiens et ardenter urgens proposi- 10 tum, amicum solitis conuenit internunciis et monet, ut nocte proxime subsequente, auctore Domino, res effectui mancipetur. Ille filium suum, secreti conscientia, solito itinere ad dominum dirigit Boamundum, monens atten- 15 tius, ut ad opus p̄dictum uniuersa p̄paret neces- saria: in se uero nullam esse moram, quominus nocte proxima promissum impleatur. Significat nihilominus, ut circa horam nonam omnes principes, singuli cum suo comitatu, tamquam hostibus obuiam profecturi de castris egrediantur, circa primam uero noctis uigiliam 20 clam et cum silentio reuertentes parati sint circa noctis medium iuxta eius monita se habere. Suscepimus ergo adolescentem Boamundus ad principes secreti conscientias occulte secum deducit, et consilii formam, quam per eundem a patre susceperat ordinatam, pandit ex 25 ordine. Illi uero consilium approbant et ita fieri oportere consentiunt.

Igitur circa horam nonam missa uoce p̄conia per castrorum ambitum edicitur publice uniuersis de equestri ordine, quatenus, armati omnes, maiores 30 sequantur principes, id, quod eis iniunctum fuerit, sine mora executuri. Erat autem non solum plebs huius ignara secreti, uerum etiam paucis ex maioribus reuelatum erat hoc mysterium. Factum est igitur, ut iuxta prudentis uiri consilium egressę a castris uniuersę 35 equitum cōpię, principum secutę uexilla, longius se abire fingerent, quoisque nox irruēns terris solitam

induxit caliginem; qua occultati clam et in silentio ad castra sunt reuersi.

Huic autem uiro dei, qui tantum nostris fauorem contulerat, frater erat uterinus longe alterius mentis et disparis propositi; cui frater, quoniam de eius non multum presumebat sinceritate, nihil secreti sui communicauerat, sed, suspectum habens eum, propositum, quantum poterat, occultabat suum. Accidit autem eadem die, dum nostre circa horam nonam egrederen-  
tur legiones, quod ambo fratres iuncti adiuicem per cancellos murorum castra prospicerent et egredientia contuerentur agmina; laborabat autem frater senior iunioris nosse propositum et eius uoluntatem diligenter indagare. Unde exorsus ad fratrem dixit: „Misereor, 15 frater mi, populo huic, cui tam subitus paratur interitus; ignarus enim, quid crastina pariat dies, securus egreditur et, quasi rebus in tuto locatis, nihil timere uidetur; uerum si sciret, quantę illi prestruantur insidię, et quanta in proximo eorum paretur ruina, forte 20 aliter sibi prouideret.“ Cui frater: „Stulta“ inquit „sollicitudine consumeris et indiscreta compassionē fatigaris. Utinam Turcorum gladiis iam occubuissent uniuersi! A die enim introitus eorum primo multo deterior facta est nostra conditio, uixque esse poterit, 25 ut tantum nobis per eos utilitatis accedat, quantum molestiarum eorum occasione passi sumus.“ Sic ergo, qui prius dubitauerat, an fratri suum communicaret propositum, nunc tamquam pestem declinans abhorret animo, execratur in conscientia, et, ne Christi obse-  
30 qui um per eum prepediretur, de eius cepit morte, caritati fraternę publicam fidelium preponens salutem, tractare.

Interea dominus Boamundus tota mente anhelus, quomodo notis satisfaceret, ne de eius desidia res op-  
35 tata susciperet dilationem, principes circuit; tota instantia monet eos esse sollicitos, scalam funibus cannabi-  
nis satis artificiose contextam paratam habens pre manibus, quę uncis inferius ferreis annexi, superius uero

ad murorum propugnacula debeat alligari. Iam uero nocte media, cum se uniuersa quieti dedisset ciuitas, continuis uigiliis et labore immenso uires sopori ministrantibus, interpretem domesticum et ualde familiarem ad predictum amicum dirigit, ut ab eodem sciscitur 5 diligentius, utrum adhuc sibi uelit adesse domini sui familiam. Adueniens autem ille uirum in cancellis reperit uigilantem. Cumque ei interpres uoce submissa uerba domini sui exposuisset, respondit ei: „Sede quietus et tace, quousque prefectus uigilum, qui cum multo 10 accedit comitatu et fulgore lampadarum, locum istum pertranseat.“ Erat enim in ciuitate consuetudo, quod preter uigiles, qui singulis turribus erant deputati, eorum superior magistratus ter uel quater in nocte muros cum ingenti circuiret comitatu, faculas ardentes 15 gestando pre manibus, ut, si quos inueniret aut somno grauatos aut negligentius se habentes, debitę animaduersi subiceret. Pertransiens autem hic, cuius tanta erat iurisdictio, et uirum uigilantem reperiens eius commendauit diligentiam, ad ulteriora deproperans loca securus. 20 Videns autem uir predictus horam se obtulisse rebus agendis opportunam, interpretem sepositum alloquitur, dicens: „Vade citus et dic domino tuo, ut cum uiris electis festinus adueniat.“ Qui dicto citius recurrens ad dominum et paratum reperiens mandatum exposuit; et 25 conuocatis clam aliis principibus et in ictu oculi, sicuti premoniti erant, subsequentibus, quisque cum suo domestico comitatu, subito ante turrim diu ante prenotatam quasi uir unus astiterunt, ita ut nec clamor nec strepitus ex eis audiretur. Interea ille uir predictus 30 turrim eandem ingressus fratrem reperit somno grauatum; cuius quia mentem nouerat alienam a suo proposito, timens, ne per eum rei iam pene consummatę ministraretur impedimentum, gladio eum transuerberat, ‘facto pius et sceleratus eodem’; post hęc rediens ad 35 cancellos et, quos euocari preceperat, presentes conspiciens, dato et resumpto mutue salutationis affatu, funem demittit inferius, quo scalam ad se pertrahat

subleuatam. Erecta igitur scala et tam a superiore parte quam ab inferiore firmius annexa, nemo repertus est, qui ad uocem superioris uel domini Boamundi mandatum presumeret ascendere et in se huiusmodi 5 periculi experimentum facere. Quod Boamundus uidens concendit ipse prior intrepidus; cumque iam muri propugnaculo, transcura scala, manum adhibuisse, comprehendens eam, qui erat interior, sciens, quia Boamundi esset manus, dixisse fertur: „Viuat hec 10 manus!“ Et ut eius et omnium fidelium sibi maiorem conciliaret gratiam, eo quod fratrem uterum, in opere tam sancto non consentientem, transuerberauerat, inducit eum in turrim et fratrem ostendit exanimem, proprio sanguine cruentatum. Deosculatus igitur dominus Boa- 15 mundus uiri constantiam et fidei sinceritatem, ad murum rediens, emisso paulisper per cancellum capite, uoce suppressa suos ad ascensum cepit inuitare; cumque adhuc dubitarent, nec auderet quisquam ascendere, totum reputantes sophisticum, quicquid de muro dice- 20 batur, hoc cognito ad suos per eandem scalam rediens sue incolumitatis eidens dedit argumentum. Unde factum est, ut certatim ascendentes in momento murum replerent; et non solum turrim illam, uerum et de collateralibus nonnullas occuparent. Audiuimus, quod inter 25 alias dominus Flandrensis comes et dominus Tancredus ascenderint, quorum doctrina ceteri regebantur.

Videntes uero principes, quod sufficiebat numerus et prudentia eorum, qui iam ascenderant, ut una uel plures portae aperirentur, sub omni uelocitate reuersi 30 sunt ad castra, ut suas prepararent copias et, dato signo ab interioribus, urbem ingredi non morarentur. Qui uero supra murum ascenderant, uirtute induiti ex alto, duce predicto uiro, qui eos introduxerat, iam decem turres in eodem sine interpolatione tractu, 35 occisis earum custodibus, occupauerant; et tamen adhuc uniuersa quiescebat ciuitas, ita ut nec rumor aliquis audiretur. Erat autem secus eam partem muri, unde nostri ascenderant, porta adulterina; ad quam

descendentes, confractis eius uectibus et seris, eam uiolenter aperiunt. Et admittendo eos, qui deforis exspectabant, creuit eorum numerus, qui intus erant, in immensum, ita ut ad portam, que Pontis dicitur, facto impetu concurrentes, cesis gladio eius custodibus, eam uiolenter aperirent. Interea quidam de familia domini Boamundi eius uexillum super eum contulerant montem, qui urbi preeminebat, et iuxta praesidium superius in arce quadam, loco eminentissimo, collocauerant. Cognoscentes autem, quod aurora rutilans 10 solis ortum nuntiaret, dato signo cornibus et lituis ceperunt perstrepare, ad urbis ingressum eos, qui in castris erant, animantes. Principes uero, signi, quod condixerant, intellegentes argumentum, raptis armis subito, sua secum trahentes agmina, in urbem irruunt, 15 aditus et portas occupantes. Interea populares exciti, quos hactenus secretum latuerat, uidentes iam castra pene uacua, alios secuti in urbem certatim se ingerunt. Ciues autem, tanto tumultu expergefacti, primum dubitant, quidnam sibi uelit clamor iste insolitus; deinde 20 uidentes per urbem discursus loricatorum insuetos et stragem, que passim per uicos fiebat et plateas, rem, prout erat, arbitrati sunt accidisse. Relictis ergo dominibus cum uxoribus et liberis tentabant effugere; dumque armatorum declinant acies, latebras querentes et 25 salutis uiam, attoniti, quid faciant, armatis se ingerunt imprudenter. Qui autem erant urbis habitatores Syri, Armenii et aliarum nationum fideles, hi, de euentu, qui acciderat, congratulantes plurimum, correptis armis nostrorum se adiungebant cetibus; et sicuti maiorem 30 habebant locorum peritiam, ita alios post se trahentes urbis docebant diuerticula, et portas, si que adhuc clausae tenebantur, obtruncatis eorum custodibus confractisque seris aperientes reliquum exercitus intromittebant. Videbatur eis hec a domino egressa uicissi- 35 tudo, ut, qui canibus immundis indebitè seruitutis iugo subiecti fuerant, angariis et cruciatibus immisericorditer fatigati, nunc uersa uice equipollentes refunderent ca-

lumnias et eis procurarent interitum. Et iam uniuersus nostrorum introductus erat exercitus, iam libere portas turresque sibi uindicauerant et mēnia, iam principum uexilla et omnibus nota in locis sublimioribus constituta insignia uictorię dabant argumentum. Erant ergo ubique strages, ubique luctus, ubique mulierum eiulatus; et interfectis patribus familias passim obtruncabatur familia, et effractis domibus uasa diripiebantur, et uniuersa illarum substantia his, qui primi accedebant, concedebar ad p̄dām. Discurrebant uictores per loca prius inaccessa, et tracti cēdis cupidine et lucri desiderio nec sexui parcunt nec conditioni; etatis etiam apud eos nulla erat differentia. Occurrentes autem sibi per uicos et plateas ciuitatis querunt diligētius, ubi potentum sint domicilia, et ubi habitauerint locupletiores; illucque iunctis concurrentes agminibus, interfectisque domesticis effringentes penetralia nobilium, liberos matresque familias gladiis transuerberantes, domus supellectilem, aurum, argentum et uestes preciosas equa sorte inuicem partiuntur. Cesa fuisse dicuntur ea die de ciuium numero plus quam decem milia, quorum corpora passim et sine delectu per vias iacebant inseulta. Sic ergo capta est Antiochia, anno ab incarnatione domini m̄xoxiii., mense Iunio, tertia die mensis.

## FRATER LEO.

## De Sancto Francisco Assisiensi.

Quodam tempore, cum beatus Franciscus cepit habere fratres et maneret cum eis apud Rigum Tortum prope Assisium, accidit, ut quadam nocte, quiescentibus omnibus fratribus, circa medium noctis exclamaret unus de fratribus dicens: „morior! morior!“ Stupefacti autem et territi omnes fratres euigilauerunt. Et exsurgens beatus Franciscus dixit: „Surgite, fratres, et accendite

lumen!“ Et accenso lumine dixit: „Quis est ille, qui dixit: morior!?“ Respondit frater ille: „Ego sum.“ Et ait illi: „Quid habes, frater? quomodo moreris?“ At ille ait: „Morior fame.“ Tum beatus Franciscus statim parari fecit mensam, et sicut homo plenus caritate et discretione comedit cum illo, ne uerecundaretur comedere solus; et de uoluntate ipsius omnes alii fratres pariter comedenterunt. Et post comedionem dixit beatus Franciscus ceteris fratribus: „Carissimi, dico uobis, quod unusquisque consideret naturam suam; quia, licet aliquis uestrum sustentari ualeat pauciori cibo quam alter, uolo tamen, quod ille, qui indiget maiori cibo, non teneatur illum imitari in hoc, sed naturam suam considerans tribuat corpori suo necessitatem suam, ut sufficiat seruire spiritui. Sicut enim a superfluitate comedionis, que obest corpori et animę, tenemur nobis cauere, ita etiam a nimia abstinentia, immo magis, quoniam dominus misericordiam uult et non sacrificium.“ Et ait: „Carissimi fratres, hoc, quod feci, uidelicet quod propter caritatem fratris mei comedimus pariter cum eo, ne uerecundaretur solus comedere, magis necessitas et caritas me coagit facere; sed dico uobis, quod de cetero nolo ita facere, quia non esset religiosum nec honestum; sed uolo et prēcipio uobis, ut quilibet fratrū secundum nostram paupertatem suo corpori satisfaciat, sicut ei necesse fuerit.“

Nam primi fratres et alii, qui uenerant post ipsos usque ad magnum tempus, affligebant corpora sua ultra modum cum abstinentia cibi et potus, uigiliis, frigore et asperitate indumenti et labore manuum suarum; portabant subtus ad carnem circulos ferreos et loricas fortissimas et cilicia; propter quod sanctus pater, considerans, quod hac occasione fratres poterant infirmari, et aliqui iam in paruo tempore erant infirmati, prohibuit in quadam capitulo, ut nullus frater portaret subtus ad carnem nisi tunicam. Nos uero, qui cum eo fuimus, testimonium p̄hibemus de ipso, quod, licet toto tempore uite sue circa fratres esset discretus et temperatus

(ita tamen, quod ipsi fratres in cibis et aliis rebus nullo tempore deuiarent a modo paupertatis et honestatis nostre religionis), ipse pater sanctissimus nihilo minus a principio sue conuersionis usque ad finem 5 uite sue corpori suo fuit austerus, quamuis naturaliter esset debilis et in seculo non posset uiuere nisi delicate. Unde quodam tempore considerans, quod fratres iam excedebant modum paupertatis et honestatis in cibis et omnibus rebus, in quadam sua predicatione, quam 10 fecit fratribus, dixit: „Non putant fratres, quod corpori meo necessaria esset pitancia; sed quia oportet me esse formam et exemplum omnium fratrum, uolo uti et esse contentus paucis et pauperculis cibis, et omnibus aliis rebus uti secundum paupertatem, atque sumptuosa 15 et delicata penitus abhorrese.

Cum uero iuisset beatus Franciscus ad quandam ecclesiam unius uille ciuitatis Assisii, cepit eam scopare humiliiter et mundare. Et statim exiuit rumor de ipso per totam uillam; videbatur enim libenter ab illis hominibus, et libentius audiebatur. Ut autem audiuit hoc quidam rusticus mira simplicitatis, qui arabat in agro suo, Johannes nomine, statim iuit ad ipsum et inuenit eum scopantem ecclesiam humiliiter et deuote. Et ait illi: „Frater, da mihi scopam, quia uolo te adiuuare.“ 25 Et accipiens scopam de manibus eius scopauit residuum.

Et sedentibus illis simul ait ille beato Francisco: „Frater, iam est diu, quod habui uoluntatem seruendi deo, et maxime postquam de te et de tuis fratribus rumorem audiui; sed nesciebam, qualiter ad te uenirem. Nunc 30 ergo, postquam placuit domino, ut te uiderem, uolo facere, quidquid tibi placuerit.“

Beatus Franciscus, considerans eius feruorem, exultauit in domino, maxime quia tunc paucos fratres habebat, et videbatur sibi, quod ille propter simplicitatem et puritatem ipsius deberet esse bonus religiosus.

Dixit autem ei: „Frater, si uis esse de societate nostra, oportet, quod expropries te de omnibus tuis, que sine scandalo habere possis, et des ea pauperibus secundum consilium sancti euangeli, eo quod illud idem fecerunt omnes fratres mei, qui potuerunt.“

Quo auditio ille statim iuit ad agrum, ubi dimiserat boues, et soluit illos et duxit unum coram beato Francisco, et dixit ei: „Frater, tot annis seruui patri meo et omnibus de domo mea; et licet sit parua hęc portio hereditatis mee, uolo hunc bouem recipere pro parte 10 mea et ipsum dare pauperibus, sicut tibi melius videbitur.“

Videntes autem parentes eius et fratres sui, qui erant adhuc parui, quod uolebat eos dimittere, ceperunt omnes de domo sua tam fortiter lacrymari et tam 15 dolorosas uoces cum planetu emittere, quod inde motus est beatus Franciscus ad pietatem, quia magna familia et imbecillis erat. Et ait illis beatus Franciscus: „Parate comedionem pro omnibus nobis, et comedamus omnes simul; et nolite plangere, quia faciam uos ualde letos.“ 20 Illi autem statim parauerunt, et omnes simul cum magna letitia comedenterunt.

Post comedionem uero dixit beatus Franciscus: „Iste filius uester uult seruire deo, et de hoc non debetis constristari, sed plurimum gaudere. Vobis 25 autem non tantum secundum deum sed etiam secundum istud seculum reputatur ad magnum honorem et profectum animarum et corporum, quia de carne uestra honoratur deus; et omnes fratres nostri erunt uestri filii et fratres. Et quia creatura dei est et suo creatori 30 uult seruire, cui seruire regnare est, non possum nec debeo ipsum reddere uobis; sed ut de ipso habeatis consolationem, uolo, quod ipse expropriet se uobis de isto boue tamquam pauperibus, licet deberet ipsum dare aliis pauperibus secundum euangelium.“ Et consolati sunt omnes in uerbis sancti Francisci, et maxime letati sunt de boue, qui redditus fuit eis, quia pauperes erant ualde.

Et quia beato Francisco nimis placebat pura et sancta simplicitas in se et in aliis, statim induit eum pannis religionis et ducebat ipsum secum humiliter pro socio suo. Erat enim ille tantę simplicitatis, quod ad 5 omnia, quę faciebat beatus Franciscus, credebat se teneri. Unde, quando beatus Franciscus stabat in aliqua ecclesia uel in aliquo loco ad orandum, iste uolebat eum uidere, ut omnibus actibus et gestibus eius se penitus conformaret. Itaque si beatus Franciscus flectebat 10 genua uel leuabat manus ad cęlum, uel sputabat uel tossitabat uel suspirabat, et ipse omnia similiter faciebat. Cum autem perpendisset hoc beatus Franciscus, cepit ipsum de huiusmodi simplicitatibus reprehendere. Cui ille respondit: „Frater, ego promisi 15 facere omnia, quę tu facis, et ideo oportet me tibi in omnibus conformari.“ Et de hoc mirabatur et letabatur mirabiliter beatus Franciscus, uidens ipsum in tanta puritate et simplicitate.

Ipse uero postea cepit in tantum proficere, quod 20 beatus Franciscus et alii fratres omnes de ipsius perfectione plurimum mirabantur; et post modicum tempus mortuus est in illo sancto profectu uirtutum. Unde postea beatus Franciscus cum multa letitia mentis et corporis inter fratres narrabat de eius conuersatione, 25 nominando ipsum non *fratrem* sed *sanctum* Johannem.

---

In quodam eremitorio fratum super Burgum Sancti Sepulcri ueniebant latrones aliquando pro pane; qui latitabant in syluis et exspoliabant homines transeuntes. Quidam fratres dicebant, quod non erat bonum illis 30 dare eleemosynam; alii uero ex compassione dabant, ad mouendum eos ad penitentiam. Interim beatus Franciscus uenit ad locum illum; quem fratres interrogauerunt, utrum esset bonum eis dare eleemosynam. Et ait illis beatus Franciscus: „Si feceritis, sicut dixero 35 uobis, confido in domino, quod lucrabimini animas

eorum. Ite ergo et acquirite de bono pane et de bono uino, et deferte illis in sylua, ubi morantur, et clamate dicentes: ‘Fratres latrones, uenite ad nos, quia fratres sumus et portamus uobis bonum panem et bonum uinum! Illi statim uenient; uos autem extendite toaleam 5 in terra, et desuper ponite panem et uinum, et seruite humiliter et letanter, donec manduauerint. Post comedionem uero dicetis eis de uerbo domini, et finaliter petetis ob amorem dei hanc primam petitionem, ut scilicet promittant uobis, quod non percutient nec 10 alicui malum facient in persona. Si enim omnia simul peteretis, non uos audirent; ipsi autem propter humilitatem et caritatem uestram statim promittent uobis. Altera uero die propter bonam promissionem apportate eis cum pane et uino oua et caseum, et seruite, donec 15 comedierint. Et post comedionem dicetis eis: ‘Quid hic statis tota die ad moriendum fame et tolerandum tot aduersa, et cum hoc facitis tot mala uoluntate et operatione? pro quibus perditis animas uestras, nisi ad dominum conuertamini. Melius est, ut domino 20 seruatis; et ipse in hoc seculo tribuet uobis necessaria corporum et finaliter saluabit animas uestras.’ Tunc eis dominus inspirabit, ut propter humilitatem et patientiam uestram, quam illis ostenderitis, conuertantur.“

Fecerunt itaque fratres omnia, sicut eis dixit beatus 25 Franciscus; et ipsi latrones per gratiam et misericordiam dei exaudiuerunt et seruauerunt, de littera ad litteram, de puncto ad punctum, omnia, quęcumque fratres ab eis humiliter petierunt. Immo propter humilitatem et familiaritatem fratum circa illos coperunt et ipsi fratribus humiliter seruire, portantes in humeris suis ligna usque ad eremitorium; et tandem aliqui ex ipsis intrauerunt religionem. Alii uero confitentes peccata sua, egerunt penitentiam de commissis, promittentes in manibus fratum de cetero se uelle uiuere de labore 35 manuum suarum et numquam similia perpetrare.

Absorptus totus in amore dei beatus Franciscus in qualibet creatura bonitatem dei perfecte cernebat; propter quod singulari dilectione afficiebatur ad creaturas, maxime ad illas, in quibus aliquid de deo uel aliquid ad religionem pertinens sibi figurabat. Unde pre cunctis auibus diligebat quandam auiculam, que uocatur alauda et in uulgari dicitur *lodola capellata*; et dicebat de ea: „Soror alauda habet caputium, sicut religiosi, et est humilis ausus: quia uadit libenter per uiam ad inuenientem sibi aliqua grana, et, si inuenierit ea inter stercore, extrahit ea et comedit. Volando laudat deum ualde sua uiter, sicut boni religiosi despicientes terrena, quorum conuersatio est semper in celis et intentio est semper ad laudem dei. Cuius uestimenta, id est penes eius, assimilantur terre et dant exemplum religiosis, ut non delicata et colorata uestimenta habeant, sed uilia pretio et colore, sicut terra est uilior aliis elementis.“ Et quia hec considerabat in ipsis, libentissime eas uidebat. Ideo placuit domino, ut ipse sanctissime 20 auicule ostenderent aliquod signum affectionis circa ipsum in hora mortis eius. Nam sero diei sabbati post uesperas ante noctem, qua migrauit ad dominum, magna multitudo huiuscemodi auium, que dicuntur alaudae, uenit super tectum domus, ubi iacebat, et uolando faciebant 25 rotam ad modum circuli circa tectum et dulciter cantantes uidebantur dominum collaudare.

Fratri, qui faciebat hortum, dicebat, ut non totam terram coleret solummodo pro herbis comedibilibus, sed aliquam partem terre dimitteret, ut produceret herbas uirentes, que temporibus suis producerent fratres flores, amore illius, qui dicitur *flos campi et lily conuallium*. Immo dicebat, quod frater hortulanus deberet facere semper pulchrum horticulum ex aliqua parte horti, ponens et plantans ibi de omnibus odoriferis herbis et de omnibus 35 herbis, que producunt pulchros flores, ut tempore suo inuitarent homines ad laudem dei, qui illas herbas et illos flores inspicerent. Omnis enim creatura dicit et clamat: „Deus me fecit propter te, homo!“

Præ omnibus creaturis ratione parentibus solem et ignem affectuosius diligebat; dicebat enim: „In mane, cum oritur sol, omnis homo deberet laudare deum propter fratrem meum solem; qui creauit ipsum pro utilitate nostra, quia per ipsum oculi nostri illuminantur 5 de die. In sero autem, cum fit nox, omnis homo deum deberet laudare propter fratrem ignem, quia per ipsum oculi nostri de nocte illuminantur. Nam omnes sumus quasi ceci, et dominus per istos duos fratres nostros oculos nostros illuminat; et ideo specialiter de his et 10 aliis creaturis, quibus quotidie utimur, debemus ipsum creatorem laudare.“ Quod et ipse fecit semper usque ad diem mortis.

### HOMILIA.

Fuit quidam sanctus, qui, cum psalleret, cogitare cepit, quid hoc esset: *Misericordias domini in eternum cantabo*. Unde anxius dicebat sibi: „Numquid in regno dei cum tali labore cantabimus et laudabimus deum, sicut et nunc?“ Hec eo cogitante, cum sederet in claustro, apparuit ei auicula mira pulchritudinis tam prope sibi, ut capi posse crederet. Quam intuens 20 ardentis desiderio eam capere gestiebat. Que leui incessu quasi fugiens monachum post se trahebat. Ille uero sequens, extra claustrum limina eum protrahens ad siluam quandam eum deduxit. Quo cum peruenisset, auicula arborem quandam uolatu petiit, monachumque 25 a sui captione frustrabat. Unde contristatus sub eadem arbore recubuit, intuitum in ipsam defigens. Illa autem nil morata dulcissimum sonum canendo auribus eius intulit. Monachus uero, et aspectus eius pulchritudine et cantus eius suauitate delectatus, immobilis ibidem 30 perstitit.

Auicula autem auolante, monachus surgens ad claustrum iter tetendit. Cumque uenisset ad portam,

ingredi nitebatur. Mirabatur autem, quod quasi noua rerum facies atque noua edificia, quo cumque uertebat oculos, ei apparebant. Dicebat autem in corde suo: „Numquid istud est claustrum, quod mane deserui? 5 Si hoc est, unde hic tam subito noua tecta surrexerunt?“

Miris magis miranda succedunt. Cum uenisset ad portam, nec portam nec portę monachum cognoscebat. Intrare cum uellet, prohibebat eum portarius, dicens: „Non intrabis, quia, quis uel unde sis, ignoramus. 10 Falsario uideris esse similis.“ Ille uero constanter se huīus monasterii monachum affirmabat, et ante primam se egressum, et nunc ad terciam diei horam reuersum. Hęc quidem dicebat uerbis, set aliter corde sentiebat, et: „Si“ inquit „hoc est monasterium, quod mane reli- 15 qui, cur non domos nec aliquem hominum, quos prius sciebam, cognosco?“

Igitur, ductus in calumpniam, ex magna cordis tristitia compulsus est abbatis presentiam postulare. Veniente abate, interrogauit monachum, quis uel unde 20 esset. Ille uero monachum huīus monasterii se asserebat, egressum mane et nunc reuersum. At abbas: „Deliras, frater; nam te numquam prius uidimus. Et tu, frater, numquid aliquem nostrorum cognoscis?“ At ille: „Minime“. Et dixit abbas: „Propterea liquido appetet, 25 te falsarium, nec te aliquando in hoc monasterio fuisse conuersatum.“ Ille autem in sui testimonium, se ibi a prima iuuentute conuersatum, ait: „Abbas meus tali nomine uocabatur. Set et prior sic dicebatur. Officiales ceteri sic et sic nominati sunt.“

Tunc abbas, altius intelligens, admotis kalendariis, cronicis et annalibus, computando inuenit, illos ante ducentos annos exitisse. Tunc primo monachus se cognoscens a deo raptum, et hęc omnia se uidissem audisse per mentis excessum, ex ordine coram omnibus replicauit, quomodo per auiculam sit seductus et eius dulcedine cantus per tot annos sic delectatus, ut cibi, potus uel somni omnino inmemor esset. Monachus

igitur predictus, cum magna ueneratione susceptus, in eodem monasterio sancto fine quieuit.

Ex his perpendere possumus, quantum sit gaudium in celo, cum omnes angeli et omnes sancti incipient sine fine deum laudare. Si igitur, fratres, ibi uolumus 5 deum uidere, hic studeamus modulo nostro illum laudare et benedicere, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

## MATTHÆVS WESTMONASTERIENSIS.

*Northmanni Angliam uastant.*

Anno gratie DCCCLXX. applicuerunt in Scotia Danorum innumera multitudo, quorum duces fuerunt 10 Hinguar et Hubba, dire peruersitatis homines et fortitudinis inauditi. Qui per pagum Eboracensem transitum facientes ecclesias, ciuitates et uillas combusserunt, homines cuiuscunque sexus et etatis cum iumentis et spoliis funditus deleuerunt. Deinde sursum per flumen 15 Humbri nauigantes consimili ibidem rabie sequiebant; indeque progressi cuncta cenobia in paludibus sita monachorum et uirginum interfectis habitatoribus destruxerunt. Nunc ergo, quoniam in persecutione ista gloriosus rex et martyr Eadmundus gladiis iniquorum 20 Hinguaris et Hubbę fratrum interfectus occubuit, dignum est hoc in loco referre tanti causam martirii, et unde duces predicti occasionem nacti fuerunt regem piissimum nece crudelissima condempnare.

Erat igitur in diebus non longe preteritis in regno 25 Danorum uir quidam de stirpe regia illius gentis progenitus, nomine Lothbrocus. Hic cum duos filios, Hinguarem scilicet et Hubbam, ex uxore genuisset, quadam die cum accipitre solus breuem nauiculam ingressus, ut in insulis maris terre uicinis anates et 30 auiculas alias aucuparetur, subita tempestate suborta intra maris latitudinem raptus, diebus aliquot cum nocti-

bus hic illucque deiectus grauiter uexabatur. Qui tandem, plurima maris pericula perpessus, in Angliam proiectus est et in prouincia orientalium Anglorum, que Northfolke ab incolis dicitur, apud Redham uillam applicuit. Qui forte ab hominibus regionis cum accipitre solus inuentus regi Estanglorum Eadmundo pro miraculo presentatur, et ab ipso rege propter elegantissimam corporis formam cum honore receptus aliquamdiu in curia eius remansit; et quoniam lingua Dano-  
rum Anglicanę loquela uicina est, Lothbrocus regi narrare cepit, quo casu in Angliam proiectus fuisset. Placerunt itaque Lothbroco in rege Eadmundo morum plenitudo et militie disciplina quamplurimum, simul et curialitas astantium ministrorum. Ad hanc quoque  
Lothbrocus morum disciplinam prouocatus rogabat regem propensius, ut sibi liceret in eius curia demorari, ut regiis posset plenius instrui disciplinis; cumque rex Eadmundus petitionem eius clementer exaudisset, iunxit se Lothbrocus uenatori regis, nomine Berno, ut artem uenatoriam, in qua fuerat eruditus ad plenum, cum ipso frequentaret. Erat autem tam in aucupatione quam in uenatorio exercitio gratiosus, unde in auibus simul ac bestiis capiendis pro uoto sibi omnia succedebant; capiebat, quicquid uolebat, et  
mensam regis delicatissimis ferculis persepe ditabat. Et cum fuisset a rege, prout eius gentilitas permisit, dilectus, cepit uenator regis ei grauiter inuidere, pro eo quod in artibus predictis ipsum in omnibus superabat; et mortali inuidia contra Lothbrocum succensus quadam die, dum uenatum pariter irent, furtiuo impetu in eum facto ipsum nequiter interfecit et in densitate nemoris interfectum abscondit; quo facto recessit uenator nequissimus et canes cornicando ad se uocauit. Nutrierat autem Lothbrocus leporarium quendam in curia regis Eadmundi, qui ipsum, ut fieri solet, multum dilexit; et uenatore cum ceteris canibus recedente ille solus cum corpore domini sui remansit. In crastino quoque, cum rex sederet ad mensam et inter-

ceteros commilitones Lothbrocum non uidisset, quæsiuit propensius a ministris, quid de illo actum fuisset; cui respondens uenator Bernus dixit, quod die hesterna, cum de uenatu domum redirent, ipse remansit in sylva post eum; et, quod eum postea non uiderit, profitetur. Sed uix uerba compleuerat, et ecce leporarius, quem nutriuerat Lothbrocus, regiam domum ingressus omnibus et maxime regi adulante cauda applaudere satagebat. Quem rex cum uidisset, astantibus dixit: „Ecce“ inquit „canis Lothbroci adueniens dominum suum uenientem preuenit“; et pre gaudio rex canem diligenter pauit, sperans per eum dominum aduenturum; sed proh dolor! frustra expectabat. Nam illico cum leporarius satiatus fuisset, reuersus est ad dominum suum et iuxta corpus eius consuetas excubias celebrauit. Qui cum iterum post triduum, fame illum compellente, ad mensam regis ingressus esset, denuo ut reficeretur, rex uehementer admirans iussit insequi uestigia canis, si recederet ab aula, et diligenter, quo pergeret, explorare. Factum est a ministris, ut eis a rege fuerat imperatum; et canem recedentem subsequentes ad Lothbroci corpus exanime sunt perducti. Cumque regi declarata hec fuissent, perturbatus est uehementer et iussit, ut corpus sepulturę honestius traderetur. Tunc rex Eadmundus, diligenti de morte Lothbroci facta inquisitione, Bernum uenatorem de opere nefando conuicit, et iussit a militibus de curia sua adiudicari ac legis peritis, quid de homicida foret agendum; ac omnes pariter in hoc consenserunt, ut uenator in illa nauicula, in qua sepe dictus Lothbrocus in Anglia applicuit, poneretur et in medio maris solus sine omni instrumento nauali dimissus probetur, si illum deus uelit a periculo liberare.

Itaque uenator, iuxta quod sententiatum fuerat, in profunditate maris dimissus post dies paucos in Daniam est proiectus. Qui cum a portuum custodibus inuentus fuisset, cognoverunt nauiculam Dani, quod in illa dominus illorum Lothbrocus consueuerat

aucupari, et perduxerunt eum ad Hinguarem et Hubbam, filios Dani in Anglia interficti, uiros potentes et crudeles; qui continuo adhibitis tortoribus exegerunt a Berno, quid de patre eorum, qui in illa nauicula ab 5 eis fuerat subtractus, actum fuisset. Bernus quoque, grauiter et diu diuersis afflictus tormentis, fingens mendacium dixit, quod pater eorum, cum casu applicuisset in Anglia, a rege Estanglorum Eadmunndo inuentus ipso iubente fuerat interfactus. At illi pro 10 rumpentes in fletum amarissimum, de morte patris sui inconsolabiliter perturbati, iurauerunt per omnipotentes deos suos, quod mortem illam non relinquerent impunitam. Bernum quoque uenatorem, qui in nauicula patris sui aduenerat, constituerunt ductorem suum, ut 15 se in regem Eadmundum vindicarent; ac deinde congregato exercitu copioso cum xx millibus armatorum mare ingressi uersus regionem orientalium Anglorum uela direxerunt et arma, ut se in regem Eadmundum, de morte illa penitus insontem, ultum irent. Verum- 20 tamen uentis in contrarium classem impellentibus in Scotia apud Berwic super Tuedam compulsi sunt applicare, ubi prescriptam depopulationem inchoantes sequendo ubique tandem ad Estangliam peruennerunt; et apud uillam, que Thedforde dicitur, castrametati, quos- 25 cunque inuenierunt ibi uiros ac mulieres, in ore gladii peremerunt. Denique cum ibidem tirannus Hinguar nequissimus multitudine intersectorum suam aliquantulum rabiem exsaturasset, quosdam plebeios aduocat, quos gladio suo iudicabat indignos, atque, ubi rex 30 eorum tunc temporis uitam duceret, sollicitus inuestigat. Fama namque ad eum peruenerat, quod piissimus rex Eadmundus uiribus et armis esset strenuus ac in omni corporis habitu incomparabilis; quo circa festinabat, quos circumquaque reperit, neci tradere, ne multo stipatus 35 militum agmine ad patriæ defensionem sufficere potuisset.

Morabatur autem eo tempore gloriosus rex et futurus martyr Eadmundus in uilla regia, que Heglesduna dicebatur, a qua et sylua, que uicina est, eodem no-

mine appellatur, ut a uulgo acceperat predo nequissimus. Unde de commilitonibus suis unum direxit ad regem, mandans, ut cum eo thesauros diuidat et paternas diuitias, sub ipso regnaturus. Sed nimis fraudulenter Hinguar thesauros exigebat, qui clementissimi regis caput potius quam pecunias sitiebat. Miles igitur, cum uolatu citissimo ad regem Eadmundum peruenisset, in hunc modum ora laxauit: „Dominus meus ubique metuendus, Hinguar, rex Danorum inuictissimus, ad hanc patriam hyematurus aduenit; cuius potentia si aspernator extiteris, et uita indignus et regno iudicaberis“. Et sic omnia, que sibi imposita fuerant, ut praediximus, cum regi per ordinem retulisset, piissimus rex Eadmundus alto cordis dolore ingemuit, et conuersus ad nuncium: „Madefactus“ inquit „cruore meorum mortis supplicio dignus existeres! Sed Christi mei exemplum imitatus, si ita contigerit, pro ipso libenter mori minime pertimesco. Rediens ergo ad dominum tuum festinus mea illi responsa perferto: Thesauros quoque nostros, quos nobis contulit diuina clementia, si potenter surripias, me tamen tuę infidelitati non subicies; honestum est enim patrię defendere libertatem simulque fidei puritatem, pro quibus etiam, si necesse est, occumbere non inutile reputamus. Igitur, ut cepit tua superba feritas, post famulos regem iugula; 25 quoniam hęc uidens rex regum me in celum transferet eternaliter regnaturum.“

Recedente itaque nuncio truculento rex Eadmundus iussit commilitones ad arma conuolare, asserens dignum pro fide pariter pugnare et patria, et cum toto exercitu, quem habere potuit, audacter processit in hostes et non longe ab urbe, que Thedforde appellatur, contra aduersarios sibi obuiam uenientes graue certamen ac nimis utrobique dampnosum commisit. Sed cum a mane diei usque ad uesperam mutua se 35 nece prostraissent, et pro nimia intersectorum multitudine sanguine loca certaminis rubuissent, piissimus rex Eadmundus non solum ex strage commilitonum

suorum pro patria gente et fide Jesu Christi decer-  
tantium, quos iam martirio coronatos agnouit, condole-  
bat, uerum etiam pro nece barbarorum infidelium ad  
inferni barathrum detrusorum nimis amare lugebat.  
5 Recedentibus itaque paganis beatissimus confessor  
Christi rex Eadmundus cum reliquiis commilitonum  
suorum, qui superstites erant, ad Heglesdunę uillam  
regiam profectus immutabiliter statuit in animo suo,  
se numquam de cetero contra barbaros pugnaturum;  
10 sed hoc solummodo dixit sibi fore necessum, ut solus  
moreretur pro populo, et non tota gens periret. Hin-  
guar igitur cum de strage suis illata inconsolabiliter  
anxiaretur, uenit ad eum apud Thedforde Hubba frater  
eius, qui iam Merciam totam depopulauerat, cum decem  
15 millibus armatorum; et sic iunctis uiribus, ut se uin-  
dicarent in sanctum regem Eadmundum, castra mouentes  
ad Heglesdunam uillam, ubi rex beatissimus Eadmun-  
dus tunc erat, celeriter peruererunt. Tunc tirannus  
Hinguar iussit circumcingi regem cum turba, ut ne  
20 unus quidem ex omnibus elaberetur uiuus. Sanctus  
itaque rex Eadmundus, cum se ab hostibus undique  
uallatum cognosceret, confugit ad ecclesiam, et armis  
temporalibus abiectis celestia induit, humiliiter patrem  
et filium cum sancto spiritu deprecans, ut sibi in pas-  
25 sione constantiam largiretur. Igitur a ministris ini-  
quitatis clementissimus rex Eadmundus ab ecclesia  
truculenter extrahitur, loris dirissimis coartatus; et, sicut  
Christus ante Pilatum presidem, ita ducitur Eadmundus  
ante iniquum ducem, cupiens eius sequi uestigia, qui  
30 pro nobis immolatus est hostia. Quo iubente ad arbo-  
rem quandam, que non multum aberat, religatus diutis-  
sime flagellatur multisque modis illuditur; sed inuictus  
athleta Christi Eadmundus inter flagella Christum  
semper inuocando flebilibus uocibus tortores suos com-  
35 pulit in furorem. Et ad ipsum tunc arcubus quasi ad  
signum ludendo totum corpus eius telis confodunt et  
sagittis, nec erat locus in corpore martiris uacuus,  
cui nouum posset imprimi uulnus; nam sicut hericius

in cute densis armatur spinis, ita corpus inuicti regis  
spiculis configitur sagittarum. Cumque nec sic Hin-  
guar carnifex truculentus sanctum martirem Eadmundum  
a fide Christi et confessione trinitatis potuisse separare,  
ut suis inquis persuasionibus preberet assen-  
sum, protinus lictori mandat, ut ense cruento martiris  
caput precidat. At lictor sanctum de stipite trucu-  
lenter auulsum inter uerba orationis et confessionis  
Christi nominis unico ictu ipsum decapitando gratissi-  
mum deo holocaustum igne passionis examinatum cum 10  
palma uictorie et corona iusticie transmisit ad celum.  
Corpus uero martiris ministri diaboli capite truncatum  
relinquentes, caput in syluam, cui Heglesdunę nomen  
est, asportantes inter densa ueprium fruteta proie-  
runt; adhuc enim laborabant laniste iniqui, ne a Chri- 15  
stianis, quos paucos superstites reliquerant, corpus mar-  
tiris sepulture, ut decebat, cum capite traderetur. Didi-  
cerant namque Hinguar et Hubba, pyrate nequissimi,  
in sylua iam dicta olim de medio sublatum fuisse Loth-  
brocum patrem suum; unde falsa suggestione Berni 20  
uenatoris beato regi et martiri Eadmundo talionem  
reddere cupientes in sylua eadem caput eius ignomi-  
niouse proiecerunt, auibus celi tradentes et bestiis  
deuorandum. Sicque rege beatissimo ad celestia trans-  
lato pagani nimium gloriantes hyemauerunt in regione 25  
illa, expulsis paucis indigenis, qui superstites cladi  
precedenti fuerunt.

Igitur fratres Hinguar et Hubba, deo odibiles, hy-  
male tempus in regione Estanglorum, predis uacantes  
et rapinis, expleuerunt; superueniente autem tempore 30  
uernali pagani ab Estanglia recesserunt. Quo auditio  
Christiani undecunque de latibulis erumpentes sum-  
mopere satagebant, ut caput beati regis Eadmundi  
inuentum reliquo corpori uniretur, et sepulture corpus  
integrum more regio traderetur. Cumque omnes pari 35  
affectu ad id concurrerent et syluas perlustrando caput  
martiris diligenter quererent, contigit res dictu mira-  
bilis et seculis inaudita. Nam cum caput querendo

inter sylvas et ueprium densitates socii socios multuis clamoribus patria lingua „*ubi es? ubi es?*“ interrogarent, caput martiris eadem lingua respondens dixit: „*her, her, her*“, quod Latine dicitur: „*hic, hic, hic*“; nec cessauit eadem repetendo clamare, quoisque singulos ad se perduxit. Ubi cum capite lupus ingens et uisu horribilis repertus est, qui caput sacrum inter brachia complectens beato martiri excubias impendebat. Assumentes itaque homines caput intrepidi profusis deo 10 laudibus ad suum corpus detulerunt, subsecente lupo illos usque ad locum sepulture. Tunc caput corpori coniungentes in mausoleo competenti illa pariter concluserunt; quo facto lupus dilecte solitudinis secreta repetiuit. Constructa est autem in eodem loco pauperimo opere a fidelibus ecclesiola, ubi postea per multa annorum curricula corpus sanctissimum requieuit. Passus est autem beatissimus rex et martyr Eadmundus anno gratiæ DCCCLXX., anno etatis sue XXIX., regni uero sui anno XVI., XII. Kal. Decembris, feria secunda.

## ORDERICVS VITALIS.

### Mors Guillelmi Conquæstoris.

Guillelmus rex, morbo nimium ingrauescente, dum sibi mortem uidet ineuitabilem imminere, pro futuris, quæ non uidebantur, intimo corde reuoluendo pertimescebat et crebro cùm suspiriis ingemiscebat. Filios itaque suos Guillelmum Rufum et Henricum, qui aderant, 25 et quosdam amicorum conuocauit et de regni ordinatione sapienter ac multum prouide tractare cepit. Robertus enim filius eius, qui maior natu erat, multotiens olim contra patrem suum litigauerat et tunc nouiter, pro quibusdam ineptiis similiter stomachatus, ad regem 30 Francorum discesserat. Verum sapiens heros in futurum sibi multisque commoda facere non distulit, omnesque

thesauros suos ecclesiis et pauperibus deique ministris distribui precepit; quantum uero singulis dari uoluit, callide taxauit et coram se describi a notariis imperauit. De fide et iustitia seruanda, de lege dei et pace tenenda, de priuilegiis ecclesiarum et statutis patrum obseruandis 5 omnes, qui presentes erant, admonuit, et allocutionem perenni memoria dignam admixtis interdum lacrymis eloquenter sic edidit:

„*Multis*“ inquit, „*o amici, grauibusque peccatis onustus contremisco, et móx ad tremendum dei examen rapiendus, quid faciam, ignoro. In armis enim ab infantia nutritus sum, et multi sanguinis effusione admodum pollutus sum. Nullatenus enumerare possum mala, quæ feci per LX annos, quibus in hac erum nos uita uixi; pro quibus absque mora rationem reddere 15 nunc cogor equissimo iudici. A pueritia mea innumeris pressuris undique impeditus sum, sed per gratiam dei de omnibus honorifice ereptus sum. Inuidiosus igitur omnibus uicinis meis factus sum, sed auxiliante deo, in quo semper spem meam posui, a nullo superatus 20 sum. Multi mihi multis machinationibus insidiati sunt; sed custodiente deo, licet multum optassent et plures insidias semper struxissent, numquam uoti compotes effecti sunt. Diadema regale, quod nullus antecessorum meorum gessit, adeptus sum, quod diuina solummodo 25 gratia, non ius contulit hereditarium. Quantos ultra mare labores et periculosos conflictus pertulerim contra diuersos aduersarios, qui conabantur me regno Anglie spoliare, difficile est enumerare; in quibus omnibus prouenit mihi sors uictorie. Sed quamuis super huiusmodi triumphis humana gaudeat auditas, me tamen intrinsecus pungit et mordet formidinis anxietas, dum perpendo, quod in omnibus his grassata est sua temeritas. Unde uos, o sacerdotes et ministri Christi, suppliciter obsecro, ut orationibus uestris me commendetis 30 omnipotenti deo, ut peccata, quibus admodum premor, ipse remittat et per suam infatigabilem clementiam inter suos me saluum faciat. Thesauros quoque meos*

iubeo dari ecclesiis et pauperibus, ut, quę congesta sunt ex facinoribus, dispergantur in sanctis sanctorum usibus. Debetis enim recolere, quam dulciter uos amauit et quam fortiter contra omnes emulos defensauit. Eccl̄esiām dei, matrem scilicet nostram, numquam uiolauit, sed ubique, ut ratio exegit, desideranter honorauit. Ecclesiasticas dignitates numquam uenum dedi; simoniam detestatus semper refutauit; in electione personarum uitę meritum et sapientię doctrinam inuestigauit et, quantum in me fuit, omnium dignissimo ecclesię regimen commendauit. Nouem abbatię monachorum et una sanctimonialium, quę a patribus meis in Normannia fundatae sunt, me adiuuante cum auxilio dei creuerunt; deinde ducatus mei tempore xvii monachorum atque sanctimonialium vi cenobia constructa sunt, quorum ego inspirante deo fui conditor ac feruidus adiutor. Omnes quoque res, quas in terris uel aliis redditibus proceres mei deo et sanctis eius dederunt pro salute spirituali, in Normannia et Anglia benigniter concessi et chartas largitionum contra omnes infestatores principali auctoritate gratis confirmaui. Hęc studia secutus sum a primeuo tempore, hęc heredibus meis relinquo tenenda omni tempore. In his, filii mei, me iugiter sequimini, ut hic et in eūum coram deo et hominibus honoremini. Hoc pręcipue uos, uiscera mea, commoneo, ut bonorum et sapientum indesinenter inhęreatis sodalitio et eorum in omnibus, si diu gloriosi uultis persistere, obediatis imperio. Piorum sophistarum doctrina est: bonum a malis discernere, iustitiam omnimodis tenere nequitiamque omni molimine cauere, infirmis et pauperibus ac iustis parcere et subuenire, superbos et iniquos comprimere ac debellare et ab infestatione simplicium refrenare, ecclesiam sanctam deuote frequentare, diuinitatis cultum super omnes diuitias amare et diuinę legi nocte dieque et in aduersis et in prosperis infatigabiliter obtemperare.

Ducatum Normannię, antequam in Senlac contra Heraldum certassem, Roberto filio meo concessi, quia

primogenitus est. Hominium pęne omnium huius patrię baronum iam recepit. Concessus honor nequit abstrahi. Sed indubitanter scio, quod uere misera erit regio, quę subiecta fuerit eius dominio; superbus enim est et insipiens nebulo, trucique diu plectendus infortunio. Neminem Anglii regni constituo heredem, sed ęterno conditori, cuius sum, et in cuius manu sunt omnia, illud commendo. Non enim tantum decus hereditario iure possedi, sed diro conflictu et multa effusione humani cruoris periuro regi Heraldo abstuli et imperfectis uel effugatis fautoribus eius dominati meo subegi. Naturales regni filios plus equo exosos habui: nobiles et uulgares crudeliter uexauit, iniuste multos exheredaui, innumeros, maxime in pago Eboracensi, fame seu ferro mortificaui. Deiri enim et Transhumbranę gentes exercitum Sueni, Danorum regis, contra me suscepserunt et multos proceres meos et tirones probatissimos in diuersis locis peremerunt; unde immoderato furore commotus in boreales Anglos ut uesanus leo properauit, domos eorum iussi segetesque et omnem apparatum atque supellectilem incendi et copiosos armentorum pecudumque greges passim mactari. Multitudinem itaque utriusque sexus tam dire famis muerone mulctaui, et sic multa millia pulcherrime gentis senum iuuenumque, proh dolor, funestus trucidai. Fasces igitur huius regni, quos cum tot peccatis obtinui, nulli audeo tradere nisi deo soli, ne post funus meum adhuc deteriora fiant occasione mei. Guillelmum filium meum, qui mihi a primis annis semper inhęsit et mihi pro posse suo per omnia libenter obediuit, opto in spiritu dei diu ualere et in regni solio, si dei uoluntas est, feliciter fulgere.

Hęc et his similia dum rex Guillelmus multa dixisset, et stupor assistentes callideque futura dimetientes inuasisset, Henricus, iunior filius, ut nihil sibi de regalibus gazis dari audiuist, męrens cum lacrymis ad regem dixit: „Et mihi, pater, quid tribuis?“ Cui rex ait: „Quinque millia libras argenti de thesauro meo tibi do.“ Ad

hec Henricus dixit: „Quid faciam de thesauro, si locum habitationis non habuero?“ Cui pater respondit: „Equanimis esto, fili, et confortare in domino! Pacifice patere, ut maiores fratres tui præcedant te. Robertus habebit 5 Normanniam et Guillelmus Angliam; tu autem tempore tuo totum honorem, quem ego nactus sum, habebis, et fratribus tuis diuinitiis et potestate præstabis“. His ita dictis metuens rex, ne in regno tam diffuso repentina oriretur turbatio, epistolam de constituendo rege 10 fecit Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi suoque sigillo signatam tradidit Guillelmo Rufo, filio suo, iubens, ut in Angliam transfretaret continuo; deinde osculatus eum benedixit et trans pontum ad suscipiendum dia 15 dema properanter direxit. Qui mox ad portum, qui Witsand dicitur, peruenit ibique iam patrem audiuit obisse. Henricus autem festinavit denominatam sibi pecuniam recipere, diligenter, ne quid sibi deesseset, ponderare, necessariosque sodales, in quibus confideret, aduocare munitumque gazophylacium sibi procurare.

Interea medici et regales ministri, qui languidum principem custodiebant, proceresque, qui ad eum uisitandi gratia ueniebant, ceperunt pro uinctis, quos in carcere tenebat, eum affari et, ut misereretur eis et relaxaret, suppliciter deprecari. Quibus ipse ait: „Multos uinculis inieci ex merito propriæ peruersitatis, aliasque plures pro metu future seditionis. Hoc enim censura rectitudinis exigit, et diuina lex per Moysen rectoribus orbis præcipit, ut comprimant nocentes, ne perimant innocentes. Nunc autem in articulo mortis 20 constitutus, sicut opto saluari et per misericordiam dei a reatibus meis absolui, sic omnes mox iubeo carceres aperiri omnesque uinctos præter fratrem meum Odonem, Baiocensem episcopum, relaxari liberosque pro amore dei, ut ipse mihi misereatur, dimitti. Nexi tamen tali 25 tenore de carcere procedant, ut antea iureiurando securitatem reipublice ministris faciant, quod pacem in Anglia et Normannia omnibus modis teneant et pacis aduersariis pro posse suo uiriliter resistant.“

Cumque multi obnixe pro Baiocensi presule rogarrent, tantorum supplicatione fatigatus rex ait: „Miror, quod prudenter non indagatis, quis uel qualis est uir, pro quo supplicatis. Nonne pro tali uiro petitis, qui iam diu contemptor extitit religionis et argutus incen- 5 tor letiferæ seditionis? Nonne hunc iam coercui quatuor annis episcopum, qui, dum debuerat esse iustissimus rector Anglorum, factus est pessimus oppressor populorum et monachilium destructor cenobiorum? Seditiosum liberando male facitis et uobismet 10 ipsis ingens detrimentum queritis. Evidenter patet, quod Odo, frater meus, leuis est et ambitiosus, carnis inhe- rens desideriis et immensis crudelitatibus, et numquam mutabitur a lenociniis et noxiis uanitatibus. Hoc per- spicue in pluribus expertus sum, ideoque constrinxii 15 non antistitem, sed tyrannum. Absque dubio, si euaserit, totam regionem turbabit et multis millibus perniciem subministrabit. Hec non ex odio, ut hostis, profero, sed, ut pater patriæ, plebi christiane prouideo. Si enim caste et modeste se haberet, sicut sacerdotem 20 et dei ministrum ubique condecet, cordi meo maior, quam possim referre, letitia inesset.“ Spondentibus autem cunctis emendationem pontificis, rex iterum ait: „Velim nolim, uesta fiet petitio, quia me defuncto uehemens subito rerum fiet mutatio. Inuitus concedo, 25 ut frater meus de carcere liberetur; sed scitote, quod multis per eum mors seu graue impedimentum incutietur.“

Sic Guillelmus rex, licet nimio ilium dolore grauiter angeretur, sana tamen mente ac uiuaci loquela effica- 30 citer fruebatur et in omnibus de negotiis regni po- scientibus promptum et utile consilium impartiebatur. Denique quinto Idus Septembris, feria quinta, iam Phœbo per orbem spargente clara radiorum spicula, excitus rex sonum maioris signi audiuit in metropoli- 35 tana basilica. Percunctante eo, quid sonaret, responde- runt ministri: „Domine, hora prima iam pulsatur in ecclesia sancte Marie.“ Tunc rex cum summa deuo-

tione oculos ad celum erexit et sursum manibus extensis dixit: „Domin⁹ mee, sancte dei genitrici, Marie me commendo, ut ipsa suis sanctis precibus me reconciliet carissimo filio suo, domino nostro Iesu Christo.“  
5 Et his dictis protinus expirauit.

Architatri autem et ceteri coessentes, qui regem sine gemitu et clamore quiescentem tota nocte seruauerant et nunc ex insperato sic eum mox migrasse uiderrunt, uehementer attoniti et uelut amentes effecti sunt.  
10 Porro ditiores ex his illico ascensis equis recesserunt et ad sua tutanda properauerunt; inferiores uero clientuli, ut magistros suos sic manicasse prospexerunt, arma, uasa, uestes et linteamina omnemque regiam supellectilem rapuerunt et relicto regis cadauere pene  
15 nudo in area domus aufugerunt. Cernite, precor, omnes, qualis est mundana fides! Unusquisque, quod potuit, de apparatu regio ut milius rapuit et confestim cum preda sua aufugit. Impietas itaque, iustitiario labente, impudenter prodiit et rapacitatem circa ipsum ultorem  
20 rapine primitus exercuit!

O secularis pompa, quam despabilis es, quia nimis uana et labilis es! Reecte pluuialibus bullis equanda diceris, quia in momento ualde turgida erigeris subitoque in nihilum redigeris! Ecce potentissimus heros, cui  
25 nuper plus quam centum millia militum seruiebant auide, et quem multe gentes cum tremore metuebant, nunc a suis turpiter in domo non sua spoliatus est et a prima usque ad tertiam supra nudam humum derelictus est. Ciues enim Rotomagenses auditio lapsu  
30 principis ualde territi sunt et pene omnes uelut ebrii desipuerunt et palam, ac si multitudinem hostium imminere urbi uidissent, turbati sunt. Unusquisque de loco, ubi erat, recessit et, quid ageret, a coniuge uel  
35 obuio sodali uel amico consilium quesiuit. Res suas quisque aut transmutauit aut transmutare decreuit pauidusque, ne inuenirentur, abscondit.

Religiosi tandem uiri, clerici et monachi, collectis uiribus et intimis sensibus processionem ordinauerunt:

honeste induiti cum crucibus et thuribulis ad sanctum Geruasium processerunt et animam regis secundum morem sancte christianitatis deo commendauerunt. Tunc Guillelmus archiepiscopus Rotomagensis iussit, ut corpus eius Cadomum deferretur ibique in basilica sancti Stephani protomartyris, quam ipse condiderat, tumularetur. Verum fratres eius et cognati iam ab eo recesserant, et omnes ministri eius eum, ut barbarum, nequiter deseruerant; unde nec unus de satellitibus regiis est inuentus, qui curaret de exequiis corporis 10 ipsius. Tunc Herluinus, pagensis eques, naturali bonitate compunctus est et curam exequiarum pro amore dei et honore gentis sue uiriliter amplexatus est. Pollictores itaque et uespillones ac uehiculum mercede de propriis sumptibus conduxit, cadauer regis ad portum Sequan⁹ deuexit impositumque naui usque Cadomum per aquam et aridam perduxit. Tunc dominus Gislebertus, abbas monasterii sancti Stephani Cadomensis, cum conuentu monachorum ueneranter obuiam feretro processit, quibus flens et orans multitudo clericorum et laicorum adhesit. Sed mox sinistra fortuna omnibus pariter maximum terrorem propinavit. Nam enorme incendium de quadam domo protinus erupit et immensos flammarum globos eructauit magnamque partem Cadomensis burgi damnose inuasit. Omnes 20 igitur ad ignem comprimentum clerici cum laicis cucurrerunt; soli uero monachi ceptum officium compleuerunt et soma regis ad cenobiale basilicam psallentes perduxerunt. Denique ad sepeliendum maximum ducem et patrem patriæ congregati sunt omnes episcopi 25 et abbates Normannię ipsumque in presbyterio inter chorūm et altare sepelierunt.

Explata missa, cum iam sarcofagum in terra locatum esset, sed corpus adhuc in feretro iaceret, magnus Gislebertus, Ebroicensis episcopus, in pulpitum ascendit 30 et prolixam locutionem de magnificentia defuncti principis eloquenter protelauit. Finita uero locutione plebem sic rogauit: „Quia nullus mortalis homo potest in hac

uita sine peccato uiuere, in charitate dei uos omnes precamur pro defuncto principe, ut propter illum apud omnipotentem deum studeatis intercedere eique, si quid in uobis deliquit, benigniter dimittere.<sup>4</sup> Tunc Ascelinus, Arturi filius, de turba surrexit et uoce magna querimoniam huiusmodi cunctis audientibus edidit: „Hęc terra, ubi consistitis, area domus patris mei fuit, quam uir iste, pro quo rogatis, dum adhuc esset comes Normannie, patri meo uiolenter abstulit, omnique dene-  
10 gata rectitudine istam ędem potenter fundauit. Hanc igitur terram palam reclamo et, ne corpus raptoris operiatur cespite meo<sup>4</sup> nec in hereditate mea sepeliatur, ex parte dei prohibeo.<sup>4</sup> Hoc ut episcopi et proceres alii audierunt et uicinos eius, qui eundem uera dixisse con-  
15 testabantur, interrogauerunt, hominem accersierunt omni- que remota uiolentia precibus blandis lenierunt et pa- cem cum eo fecerunt. Nam pro loculo solius sepul- ture sexaginta solidos ei protinus adhibuerunt, pro reliqua uero terra, quam reclamabat, equipollens mu-  
20 tuum eidem promiserunt et post non multum temporis pro salute specialis heri, quem diligebant, pactum compleuerunt. Porro, dum corpus in sarcofagum mitteretur et uiolenter, quia uas per imprudentiam cęmentariorum breue structum erat, complicaretur, pinguissimus uenter  
25 crepuit, et intolerabilis fetor circum adstantes personas et reliquum uulgas impleuit. Fumus thuris aliorumque aromatum de thuribulis copiose ascendebat, sed tēter- rimum putorem excludere non proualebat; sacerdotes itaque festinabant exequias perficere et actutum sua  
30 cum pauore mappalia repeteret.

Diuitis et pauperis par est conditio, et similiter ambos inuidit mors et putredo. Nolite ergo confidere in principibus falsis, o filii hominum, sed in deo uiuo et uero, qui creator est omnium!

**ADAMVS BREMENSIS.****1. De Adalberto Archiepiscopo.**

Adalbertus archiepiscopus Hammaburgensis et episcopus Bremensis uirgam pastoralem suscepit ab Heinrico III. imperatore; pallium archiepiscopale per legatos accepit a papa Benedicto IX. Ordinatio eius facta est anno **XLV**. Aquisgrani, praesente cum principibus Cęsare, XII episcopis adstantibus et manu imponentibus. Cuius benedictionis copiam ipse sibi multotiens maledicentibus obiecit, subridens ac dicens, se non posse ab aliquo maledici, qui a tantis ecclesię patriarchis tam sollempniter benedictus fuerit. Erat 10 uir genere nobilissimus, ingenio acri et instructo multarum artium supellectile, in diuinis et humanis pru- dentię magnę et ad ea, quę auditu uel studio collegit, retinenda et proferenda memorię celebris, eloquentię singularis. Tum, prēterea quod forma corporis erat 15 speciosus, castitatis amator fuit. Largitas eiusmodi, ut petere haberet indignum, tarde acciperet, prompte uero hilariterque sepe non potentibus largiretur. Humiliitas in eo dubia uidebatur, quam solis exhibuit seruis dei, pauperibus et peregrinis, adeo ut sepe, antequam 20 cubitum iret, triginta et amplius mendicantibus ipse genu flexo pedes lauaret; principibus autem sęculi et coequalibus suis humiliari nullo modo uoluit: in quos etiam tali zelo exarsit aliquando, ut hos luxurię, illos auaritię, quosdam infidelitatis arguens nulli demum 25 parceret, quem notabilem cognouit. Itaque multis uirtutibus in unum uas congregatis poterat uir talis esse dicique beatus, nisi unum uitium obstaret, cuius deformitas omnem decorem illius obnubilaret: hoc erat cenodoxia, familiaris diuitium uernacula. Ea prudenti 30 uiro tales inuidiam peperit, ut multi etiam bona, quę fecit plurima, dicerent fieri pro mundana gloria. Nobis autem, qui cum eo uiximus cotidianamque uiri conuer- sationem inspeximus, notum est, aliqua illum, sicut

hominem, fecisse pro honore seculi, multa uero pro dei timore, sicut bonum hominem. Et quamuis largitas eius in cunctis modum excederet, inueni tamen eam largiendi rationem, quod pro ditanda ecclesia sua quosdam studuit obsequiis placare, sicut reges et eorum consilio proximos; alios autem, qui ecclesię suę aliquo modo nocere uidebantur, acerrimo persecutus est odio, sicut duces Saxonum et nonnullos episcopos.

Quoniam magnus pontifex uidit ecclesiam et episcopatum suum, quem decessoris sui Adaldagi prudentia liberauerat, iniqua ducum potentia iterum uexari, summo nisu conatus est eandem ecclesiam pristinę libertati reddere, ita ut nec dux nec comes aut aliqua iudicialis persona quampiam potestatem haberet in suo episcopatu. Quod nisi per odium fieri nequirit, dum correpti pro nequitia principes ad iram magis accenderentur. Aiunte Bernardum ducem, cum pro nobilitate ac sapientia suspectum haberet pontificem, sepe dixisse, illum quasi exploratorem positum in has regiones, qui infirma terre alienigenis et Cęsari esset proditurus, ideoque, dum ipse aut aliquis filiorum eius aduixerit, episcopum numquam bonum diem habiturum in episcopatu. Itaque Adalbertus, ira et metu anxius, ea modo cum animo habere cepit, quę duci et suis profutura non essent; dissimulatoque animi dolore ad tempus, quod aliā uia consilium non inuenit, totus confugit ad auxilium palatii, nec pepercit sibi ac suis aut ipsi episcopatu Cęsarem placando et aulicos, dummodo id efficeret, quod ecclesia esset libera. Proinde uisus est tantos in curia labores tolerasse, tantas ubique terrarum expeditiones pro Cęsare sponte suscepisse, ut infatigabilem eius constantiam miratus Cęsar ad omnia rei publicę consilia uirum habere eum maluerit uel primum.

In legatione gentium, quod primum est Hammarburgensis ecclesię officium, nemo umquam tam strenuus potuit inueniri. Qui statim, ut ingressus est episcopatum, ad reges aquilonis pro amicitia legatos misit; epistolas quoque commonitorias sparsit per omnem

Daniam et Nordmanniam ac Suediam et usque ad fines terre, exhortans episcopos et presbyteros in illis partibus degentes, ut ecclesias domini nostri Jesu Christi fideliter custodirent atque ad conuersionem paganorum accederent intrepidi. Suein, rex Danorum, succedentibus sibi prosperis, oblitus cęlestis regis consanguineam a Suedia duxerat uxorem. Quod domno archiepiscopo ualde displicuit, furentemque regem, missis legatis ad eum, de scelere terribiliter increpuit; postremo, nisi resipuerit, excommunicationis gladio ferendum esse minatus est. Tunc ille, conuersus in furorem, minabatur omnem Hammaburgensem parrochiam uastare et exscindere. Ad quas minas imperterritus Adalbertus arguens et obsecrans perstitit immobilis, donec tandem flexus Danorum tyrannus per litteras pape libellum repudii dedit consobrinę. Post hęc magnopere studuit archiepiscopus, ut regi conciliaretur, quem prius offensum habuit; sciuit enim, si tales uirum ad se colligeret, leuiores sibi ad cetera, quę in animo gessit, introitum fore. Mox igitur uenit in Sliaswig, ubi facile reconciiliatus superbo regi muneribus atque conuiuiis certauit archiepiscopalem potentiam regalibus anteferre diuitiis. Denique, sicut mos est inter barbaros, ad confirmandum pactum fęderis opulentum conuiuum habetur uicissim per octo dies. De multis rebus ecclesiasticis ibi disponitur, de pace Christianorum, de conuersione paganorum ibi consulitur. Ita pontifex cum gaudio domum reuersus persuasit Cęsari, ut, euocato rege Danorum in Saxoniam, uterque alteri perpetuam iuraret amicitiam. Cuius fęderis beneficio multum lucri suscepit nostra ecclesia, et legatio borealium nationum, cooperante Suein rege, prosperis semper aucta est incrementis.

Trans Albiam uero et in Scлавania citeriori res nostre magna gerebantur prosperitate. Godescalcus enim princeps, uir prudentia et fortitudine prędicandus, accepta in uxorem filia regis Danorum Sclaus ita perdomuit, ut eum quasi regem timerent, tributum offerentes et pacem cum subiectione petentes. Idem,

uir religiosus ac timens deum, archiepiscopo etiam familiaris, ecclesiam Hammaburgensem ut matrem colebat, ad quam soluendorum causa uotorum solitus erat frequenter uenire. In Sclauania nemo umquam surrexit 5 potentior et tam feruidus christiane religionis propagator. Igitur omnes populi Sclauorum usque ad Penem fluuium, qui ad Hammaburgensem respiciunt dyocesim, sub illo principe christianam fidem coluerunt deuote; prouincię iam plenę erant ecclesiis, ecclesię autem 10 sacerdotibus, sacerdotes uero libere agebant in his, quę ad deum pertinet; infinitus erat numerus eorum, qui cotidie conuertebantur, adeo ut pro sacerdotibus in totas mitteretur prouincias; tunc etiam per singulas urbes cenobia fiebant sanctorum uirorum canonice uiuentium, item monachorum atque monialium. Gratulabatur archiepiscopus de nouella plantatione ecclesiarum misitque de suis episcopis et presbyteris uiros ad principem sapientes, qui rudes in christianitate populos confortarent. Prēterea, cum ipse ueniret in Hammaburg, 20 eundem Godescalcum principem inuitauit ad colloquium, magnopere illum exhortans, ut incepsum pro Christo laborem constanter ad finem perducat, uictoriam illi pollicens affutaram in omnibus, postremo, si quid patiatur aduersitatis pro nomine Christi, beatum fore: 25 multa illi de conuersione paganorum in cęlo reposita p̄m̄ia, multas coronas de singulorum salute uenturas. Eisdem uerbis et ad idem studium hortabatur archiepiscopus regem Danorum, qui ad eum, iuxta Egdomam fluuium consistentem, multotiens uenit, omnia, quę de scripturis 30 ab illo proferebantur, subtiliter notans memoriterque retinens, excepto quod de gula et mulieribus, quę uitia naturalia sunt illis gentibus, persuaderi non potuit; ad cetera uero omnia pontifici rex fuit obediens et moriger.

35 Hęc dum forinsecus in legatione gentium ecclesię nostrę ministerio gererentur, dominus metropolitanus Adalbertus, adhuc bonis intentus studiis, uigilanter et magnopere prouidit, ne sua quapiam negligentia pastorale

officium minus habere uideretur. Itaque, domi forisque clarus, taliter se gessit, ut, par diuinitum maiorque magnatum, nichilominus pater orphanorum defensorque uiduarum esse certaret, talem curam habens omnium, ut necessitatibus etiam minimorum sollertiaissimus prouisor 5 adesset Cumque, terrenis grauatus negotiis, ad spiritalia mox languescere cogeretur, in sola gentium legatione permansit integer officii et talis, qualem et tempora et mores hominum mallent habere: ita affabilis, ita largus, ita hospitalis, ita cupidus diuinę pariter et 10 humanę glorię, ut paruula Brema, ex illius magnitudine instar Romę diuulgata, ab omnibus terrarum partibus deuote peteretur, maxime ab omnibus aquilonis populis. Inter quos extremi uenerunt Islani, Gronlani et Orchadum legati, petentes, ut prēdicatores illuc dirigeret; quod 15 et fecit.

Tantus eo tempore dominus Adalbertus apud papam, talis apud Cęsarem habebatur, ut de publicis rebus absque eius consilio nichil ageretur. His ergo rerum successibus elatus, et quod papam uel Cęsarem suę 20 uoluntati prinos uideret, multo studio laborauit in Hammaburg patriarchatum constituere. Ad quam intentionem primo ductus est ea necessitate, quoniam rex Danorum desiderauit in regno suo fieri archiepiscopatum: quod ut perficeretur, ex auctoritate sedis apostolice prope 25 sancitum est; sola expectabatur sententia Adalberti. Quam rem ille, si patriarchatus honor sibi et ecclesię suę Romanis priuilegiis concederetur, fore ut consentiret, promisit, quamlibet inuitus. Interea uero, condicionibus utrimque protractis, sanctissimus papa Leo migravit, 30 nec multo post fortissimus imperator Heinricus decessit. Quorum morte non solum ecclesia turbata est, uerum etiam res publica finem habere uidebatur. Itaque ex illo tempore nostram ecclesiam omnes calamitates oppresserunt, nostro pastore tantum curię intento negotiis. 35 Ad gubernacula regni mulier cum puero successit, magno imperii detimento; indignantes enim principes aut muliebri potestate constringi aut infantili ditione regi primo

quidem communiter uindicarunt se in pristinam libertatem, ut non seruirent; dein contentionem mouerunt inter se, quis eorum uideretur esse maior; postremo armis audacter sumptis dominum et regem suum depo-  
5 nere moliti sunt.

Tandem seditionibus ad pacem inclinati Adalbertus et Anno, archiepiscopus Coloniensis, consules declarati sunt, et ex eorum consilio deinceps suimma rerum pendebat. Sed facta eorum sodalitas modico durauit tem-  
10 pore, et quamuis lingua utriusque pacem sonare uide-  
retur, cortamen odio mortali pugnabat in inuicem. Nostri uero metropolitani ab hoc initio corrupti mores in pro-  
cessu temporis semper deteriores fuerunt. Nam pro gloria mundi captanda, quam nimium dilexit, homines  
15 diuersi generis et multarum artium, precepue uero adulatores, ad suam adsciscere cepit familiaritatem. Quorum onerosam multitudinem traxit secum in curia et per episcopium, siue quacumque iter esset; pecuniam autem, quam recepit a suis siue ab amicis, porro seu ab his,  
20 qui frequentabant palatium, uel qui regie maiestati obnoxii fuerunt, illam, licet maxima esset, sine mora dispersit infamibus personis et ypocritis, medicis et histrionibus et id genus aliis, scilicet non sapienter estimans talium personarum fauoribus se effecturum,  
25 ut uel solus placeret in curia uel maior domus fieret pre omnibus, et eo modo perfici posse, quod in animo habuit de prouectu ecclesie sue. Præterea cum omnes, qui erant in Saxonia siue in aliis regionibus clari et magnifici uiri, adoptaret in milites, multis dando quod  
30 habuit, ceteris pollicendo quod non habuit, inutile nomen uanę glorię magno corporis et anime dampno mercatus est. Tunc igitur magnis curię honoribus inflatus uixque iam tolerandus inopi parrochię uenit Bremam cum ingenti, ut solebat, multitudine armatorum, nouis populum  
35 et regionem exactionibus aggrauans; tunc leuata sunt illa castella, que uel maxime duces Saxonum ad iram incenderunt, deficiente illo studio, quod prius habuit in edificatione sanctarum congregationum. In omnibus

uerò modum ignorabat, et tam in bono, si misertus est, quam in malo, si iratus est, mensuram excedebat. Eius rei documentum est, quod in ira furoris sui aliquos manu percussit usque ad effusionem sanguinis, in misericordia uero, que in hac parte melius dicitur largitas, 5 erat ita profusus, ut aliquando mediocribus personis effundi centum argenti libras edixerit, amplius autem maioribus. Qua de re accidit, ut, quotienscumque iratus esset, ceu leo fugeretur ab omnibus, cum uero placatus esset, palpari posset ut agnus. Citissime autem ad 10 hilaritatem ab ira laudibus mulceri potuit, et tunc quasi alteratus ab illo, qui fuit, arridere cepit laudatori. Quod sepe uidimus captari ab adulatoribus, qui ex diuersis terrarum partibus in cameram eius confluxerunt, quos et ipse ad nanciscendum honorem mundi necessarios 15 esse principibus iudicauit, et quos ideo in suam dignatus est adsciscere familiaritatem aut certe donatos munieribus a se dimisit. Ita uero et honestas personas et in ordine sacerdotali fulgentes ad hoc turpissimum adulatio[n]is officium ambitio sue familiaritatis illexit. Postremo, 20 qui adulari nesciret aut fortasse nollet, eum sicut amorem et stolidum uidimus a ianuis excludi. Porro ita præualuerunt apud eum mendaces, ut uera dicentibus non crederetur, etiamsi iurarent.

Præterea inter epulandum familiare habuit magnos 25 uiros carpere, notans in aliis stultitiam, in quibusdam auaritiam, multis autem obiciens ignobilitatem; omnibus uero impropereauit infidelitatem, eo quod ingrati essent illi, qui eos de stercore suscitasset, regi, quem solus ipse diligens imperium pro iure, non pro suo commodo, 30 tueri uideretur: argumentum esse, quod illi sicut ignobiles raperent aliena, ipse uero sicut nobilis effunderet sua; hoc esse apertissimum nobilitatis indicium. Hac inuentione pestifera utebatur in singulos, nullique demum pepercit, dummodo se omnibus anteferret. 35

Talia et eiusmodi plurima odium ei pepererunt omnium mortalium, precepue uero magnatum. Ex quibus infestissimi erant tam illi quam ecclesię nostrę

dux Saxonum Bernardus et eius filii, comites Ordulfus et Herimannus. Et primo quidem Ordulfus, uiuo adhuc patre, hostili stipatus multitudine Bremensem episcopatum in Fresia deuastauit; ac tametsi pontifex, 5 ut debuit, zelo exardens, ecclesię contemptores anathematis gladio percussit, querelam tamen ad curiam deferens nichil aliud meruit quam derideri; nam et rex puer a nostris comitibus derisui habitus est. Postea uero Herimannus cum exercitu copioso uenit contra Bremam, 10 ibique diripiens omnia, quę ad manum uenerant, soli ecclesię pepercit; similiterque per totum faciens episcopatum homines ecclesię nudos inopesque dimisit. Tunc etiam castella omnia, quę pontifex, pr̄escius futurorum, diuersa regione construxerat, usque ad solum diruta 15 sunt. Ob hęc comes, audita archiepiscopi querela, secundum iudicium palatii relegatus in exilium est, sed post annum clementia regis absolutus est; deinde uero idem comes et frater eius dux Ordulfus, ad satisfactionem ecclesię uenientes pro delicto suo quinquaginta mansos 20 optulerunt, et quieuit terra paucos dies.

Inter hęc archiepiscopus, relicta rei domesticę cura, in curiam totus et in gloriam pr̄ecep̄s ferebatur, hac de causa, ut ipse retulit, capessendę rei publicę quęrens primatum, quia dominum et regem suum inter 25 manus trahentium non posset uidere captiuum. Et iam consulatum adeptus est, iam remotis emulis solus possedit arcem Capitolii, non tamen sine inuidia, quę semper gloriam sequitur. Tunc uero, quędam aurea secula renouaturus in consulatu suo, cogitasse fertur disperdere de ciuitate dei omnes, qui operantur iniquitatem, pr̄cipue illos, qui uel in regem manus miserant aut ecclesias depredasse uidebantur. Cuius delicti conscientia cum fere omnes episcopi et principes regni tangerentur, unanimi odio conspirabant, ut ille solus 35 periret, ne ceteri periclitarentur. Igitur omnes simul apud Triburiam congregati, cum rex adasset pr̄esens, archiepiscopum nostrum quasi magum et seductorem a curia depulerunt.

Audientes autem duces Saxonum, quod pontifex ab ordine senatorum esset electus, magno repleti gaudio cogitabant et ipsis tempus uenisse ultionis, ut eum penitus alienarent a suo episcopio, multasque insidias ei struxerunt. Quibus angustiis obstrictus ignominiosum 5 quidem, sed necessarium cum hostibus fēdus pepigit; et magnis largitionibus, quę ecclesię Bremensis opes penitus affixerunt, nichil aliud lucratus est, quam ne expelleretur a suo episcopatu. Eodem anno, ab incarnatione domini MLXVI., aliud graue dampnum ecclesię 10 contigit; nam Godescalcus princeps interfactus est a paganis, quos ad christianitatem nitebatur conuerttere. Quo facto omnes Sclavi, facta conspiratione generali, ad paganismum denuo relapsi sunt, eis occisis, qui persistierunt in fide. Dux Ordulfus in uanum sępe 15 contra eos dimicans per duodecim annos numquam potuit uictoriam habere; totiensque uictus a barbaris, a suis etiam derisus est.

Sequentibus annis archiepiscopus Bremę sedit priuatus, solitarius et quietus. Sed mores uiri, licet semper 20 a communi mortalium habitudine dissentirent, circa terminum uitę inhumani intolerabilesque et alieni a semetipso uidebantur, maxime post diem expulsionis sue uel deuastationis parrochię, quę subsecuta est. Post illum, inquam, diem pudore, ira doloreque maiori, quam 25 sapientem uirum decuit, permotus, quia recuperandi bona ecclesię non inuenit consilium, ex nimia sollicitudine multiformium angustiarum non audeo dicere insanus, sed impos mentis effectus est; et quę per eum deinde gerebantur, desipientis hominis poterant uideri. 30 Sicut est illud, quod aliquando, totum diem sompno indulgens, noctu peruigil aut lusit ad aleas aut mense assedit; item illud, quod, a ueritate auditum auertens, ad fabulas et somnia conuersus est; item illud, quod, elemosinarum oblitus in pauperes, omnia, quę habere 35 potuit, dispersit in diuites, pr̄cipue in adulatores; item illud, quod, dispersis bonis ecclesię, cum nil haberet residui, de rapinis miserorum uixit et bonis sanctarum

congregationum. Erga suos parrochianos multis modis crudelem se exhibuit, quos potius diligere ac, sicut pastor oves suas, procurare deberet. Taliter ille circa finem totus a se alteratus et a pristina uirtute pessimum datus quid uellet aut nolle, nec sibi nec ulli suorum poterat satis notum esse. Ceterum talis erat eloquentia eius usque in finem, ut, si eum audires contionantem, facile tibi persuaderetur, omnia per illum fieri plena ratione magnaue auctoritate.

Multo tandem labore multisque largitionibus in unum consumptis post triennium expulsionis sue in pristinum gradum curie restitutus est. Nactus uero locum dignitatis, in quo magnitudinem animi posset ostendere, iam tunc caute ambulandum esse deliberauit erga principes, ut non offenderet eos sicut prius. Quapropter Coloniensi archiepiscopo, cuius precepue zelo a curia proturbatus erat, primum conciliari uoluit, deinde ceteris, in quos ipse uel potius qui in illum peccasse uidebantur. Deinde, remotis impedimentis, ecclesie sue, pro cuius exaltatione tam in ambitu curie quam in profusione pecunie uidebatur improbior, non fuit ociosus propugnator. Et nonnulla quidem ecclesie bona recuperare ei contigit, sed pleraque eius incepta frustra fuerunt.

Eodem fere tempore, sua morum perturbatione infractus, cum simul exterioribus fortunę quateretur aduersis, quasi nauis obruta fluctibus etiam corpore debilitari cepit. Dumque medicorum auxilio studuit recuperare ualitudinem, propter crebra medicaminum temptamenta in grauiorem mox incidit infirmitatem, ita ut, semianimis iacens, iam fuerit desperatus. Tunc ille compunctus amare fleuit ut Ezechias, correctionemque sue uite deo promittens diuina clementia statim conualuit; totumque superuuiens triennium multa com- pleuit, non tamen omnia, que promisit.

Anno domini MLXXII. grauissimo dysenterię morbo correptus et usque ad ossa attenuatus, sue prorsus adhuc immemor salutis rei publicę negotia tractauit us-

que ad extremam exitus horam. Soli regi concedebatur aditus egrum uisitandi, quem dilexit eo modo etiam usque in finem. Illum ergo sue fidei ammonens et diuturni seruitii, multis gemitibus commendauit ei ecclesiam suam et bona ecclesię. Denique xvii. Kal. Aprilis, die medio sextę ferię, suis ad epulas sedentibus, ipse in agonia solus iacens exhalauit spiritum. Afferunt tamen aliqui paucos interfuisse arbitros, in quorum presentia de omnibus gestorum suorum offendiculis amaram in nouissimo gesserit penitentiam, flens et eiulans, se dies suos perdidisse, tuncque demum cognoscens, quam parua, immo quam misera est nostri pulueris gloria. *Quia omnis caro fenum, et omnis gloria eius quasi flos feni.*

## 2. De situ Daniæ.

Prouincia Danorum tota fere in insulas disperita est. Hanc autem Daniam a Nordalbingis flumen Egdore dirimit, quod oritur in profundissimo saltu pagorum Isarnho, quem dicunt extendi secus mare barbarum usque ad Sliam lacum. Ceterum flumen Egdore descendit usque in oceanum Fresonicum, quem Romanī scribunt Brittanicum. Et prima quidem pars Danię, que Judland dicitur, ab Egdora in boream longitudine protenditur, habens iter tridui, si in Funem insulam diuertis, si uero a Sliaswig in Alaburg per directum uiam metiris, quinque aut septem habens iter dierum. Hęc est strata Ottonis Cesaris usque ad mare nouissimum Wendile, quod in hodiernum diem ex uictoria regis appellatur Ottinsund. Latitudo Judland secus Egdoram diffusior est, inde uero paulatim contrahitur ad formam lingue in eum angulum, qui Wendila dicitur, ubi Judland finem habet. Inde breuissimus in Nordmanniam transitus est. Ager ibi sterilis: pręter loca fluminibus propinqua omnia fere desertum uidentur, terra salsuginis et uaste solitudinis. Porro cum omnis tractus Germanię profundis horreat salti-

bus, sola est Judland ceteris horridior; quæ in terra fugitur propter inopiam fructuum, in mari uero propter infestationem pyratarum. Vix inuenitur culta in aliquibus locis, uix humanæ habitationi oportuna. Sicubi 5 uero brachia maris occurunt, ibi ciuitates habet maximas. Hanc regionem quandam Cesar Otto subiciens tributo in tres diuisit episcopatus, unum constitutens apud Sliaswig, quæ et Heidibu dicitur, quam brachium quoddam freti barbari alluit, quod incole 10 Sliam uocant, unde et ciuitas nomen trahit. Ex eo portu naues emitti solent in Sclauaniam uel in Suediam uel ad Semland usque et Græciam. Alterum fecit episcopatum in Ripa, quæ ciuitas alto cingitur alueo, qui oceano influit, et per quem uela torquentur in Fresiam 15 aut in Angliam uel in nostram Saxoniam. Tercium uoluit episcopatum esse in Arhusen: hanc ciuitatem fretum quoddam a Fune diuidit breuissimum, quod ab orientali pelago ingrediens longis anfractibus inter Funem et Judland protenditur in boream usque ad eandem 20 ciuitatem Arhusen, a qua nauigatur in Funem aut Seland siue in Sconiam uel usque in Noruegiam.

Funis insula est non modica, post eam, quæ Wendila dicitur, in ostio barbari sinus occurrens. Hec adhaeret regioni, quæ Judland dicitur, in quam breuissimus 25 a Judland transitus ex omni parte. Ciuitas ibi magna Odansue; insule in giro paruule, omnes frugibus plene. Et notandum est: si per Judland in Funem tendere uis, directam in septentrionem uiam habes; at uero per Funem transeunti ad Seland oriens in faciem 30 occurrit. Duo traiectus sunt in Seland, unus a Fune, alter ab Arhusen, pari uterque distans spacio. Mare natura tempestuosum duplice plenum periculo, ut, etiamsi uentum habeas prosperum, uix effugias manus pyratarum. Inter Seland et Funem insula est paruula, 35 quam Sprogam dicunt; ea est spelunca latronum, magnus timor omnium transeuntium.

Seland insula est in interiori sinu maris Baltici sita, quantitate maxima. Hec, tam fortitudine uirorum

quam opulentia frugum celeberrima, longitudinem habet bidui, cum latitudo fere sit equalis. Ciuitas eius maxima Roscald, sedes regia Danorum. Hec insula equali spacio distat a Fune uel Sconia, quod per noctem transitur, habetque ab occidente Judland ciuitatem Arhusen uel 5 Alaburg et Wendilam, a borea uero, ubi et deserta est, fretum Nordmanniæ; a meridie autem Funem predictam et sinum Sclauanicum, ab ortu respicit promunctorium Sconie, ubi est ciuitas Lundona. Aurum ibi plurimum, quod raptu congeritur pyratico. Ipsi 10 enim pyrate, quos illi Wichingos appellant, nostri Ascomannos, regi Danico tributum soluunt, ut liceat eis predam exercere a barbaris, qui circa hoc mare plurimi habundant. Unde etiam contingit, ut licentia, quam in hostes acceperunt, sepe abutantur in suos: adeo fide 15 nulla utrique ad inuicem sunt, et sine misericordia quisque alterum, mox ut ceperit, in ius familicij uel socio uendit uel barbaro. Et multa quidem alia tam in legibus quam moribus quo bonoque contraria Dani habent: ex quibus nil utile mihi uisum est ut dicerem, nisi 20 quod mulieres, si constupratæ fuerint, statim uenduntur. Viri autem, si uel regi maiestatis rei uel in aliquo fuerint scelere deprehensi, decollari malunt quam uerberari. Publica securis in foro pendet, minitans reis capitalem sententiam, qua, si ita contigerit, accepta 25 uideas moriturum exultantem ire ad supplicium quasi ad conuinium. Alia non est ibi species penæ præter securum uel seruitutem; et tunc, cum dampnatus fuerit reus, letum esse gloria est. Nam lacrimas et planctum ceteraque genera compunctionis, quæ nos salubria censemus, 30 ita abhominantur Dani, ut nec pro peccatis suis ulli flere liceat nec pro caris defunctis.

A Seland in Sconiam traiectus multi, breuissimus in Halsinburgh, quæ et uideri potest. Sconia est pulcherrima uisu Daniæ prouincia (unde et dicitur), armata 35 uiris, opulenta frugibus diuesque mercibus et nunc plena ecclesiis. Sconia bis tantum habet in spacio quam Seland; ipsa habet trecentas ecclesias, cum Seland

dicatur habere dimidium, Funis terciam partem. Sconia est pars ultima Danię, fere insula; undique enim cincta est mari pr̄ter unum terrę brachium, quod ab oriente contingens Sueonię disterminat a Dania. Ubi sunt 5 profundi saltus montesque asperriimi, per quos a Sconia in Gothiam necessario iter agitur, ut dubites, utrum leuius sit marino discriminē terrestre periculum uitare an istud illi pr̄ponere.

Nunc autem, quoniam se p̄ebuit occasio, ad rem 10 uidetur aliquid de natura Baltici maris dicere. Cuius freti mentionem Einhardus fecit, qui „sinus“ inquit „quidam ab occidentali oceano orientem uersus porrigitur.“ Sinus ille ab incolis appellatur Balticus, eo quod in modum baltei longo tractu per Scithicas 15 regiones tendatur usque in Gr̄eciam; idemque mare barbarum seu pelagus Scithicum uocatur a gentibus, quas alluit, barbaris. Occidentalis autem oceanus ille uideatur, quem Romani Brittanicum scribunt. Einhardus dicit eundem sinum ‘longitudinis incompete’; affirmant 20 autem Dani longitudinem huius ponti s̄epe a pluribus expertam, ac secundo flatu per mensem aliquos a Dania peruenisse in Ostrogard Ruzzię. Latitudinem uero Einhardus illam ponit, ‘quę nusquam centum milia passuum excedat, cum in multis locis contractior inueniatur’. Quod in ostio eiusdem sinus uideri potest, cuius ab oceano introitus inter Alaburg uel Wendilam, promuntorium Danię, scopolosque Nordmannię tam strictus inuenitur, ut facili cursu per noctem carbasa traiciantur.

Multę sunt insulę in hoc sinu, quas omnes Dani et Sueones habent in sua ditione; aliquas etiam Sclaui tenent. Earum prima est in capite illius freti Wendila, secunda Morse, tercia Thud, modico ab inuicem interuallo diuisę; quarta est Samse, quę opposita est 35 ciuitati Arhusen; quinta Funis, sexta Seland, septima, quę illi adh̄eret, quarum supra mentionem fecimus; octauam dicunt illam, quę Sconię ac Gothię proxima Holmus appellatur, celeberrimus Danię portus et fida-

statio nauium, quę ad barbaros et in Gr̄eciam dirigi solent. Ceterum insulę Funi adiacent alię septem minores ab Euro, quas supra diximus frugibus opulentas, hoc est Moyland, Imbra, Falstra, Laland, Langland, itemque duę alię, omnes sibi uicinę, cum Laland 5 interius uadat ad confinia Sclauorum. Hę quindecim insulę Danorum regnum aspiciunt, omnesque iam christianitatis titulo decoratę sunt.

## CHRONICON LVNDENSE.

### De antiquissimis Daniae regibus.

Primo tempore inuadente Daciam imperatore, in 10 ètate Dauid, partes istę: Iucia, Feonia, Sialandia, Møn, Falster, Laland, Scania, non dicebantur Dania uel Dacia, quia nullo regebantur imperio proprio, sed ad regem Suethię habuerunt respectum. Fuit enim in Upsala ciuitate Suethię rex quidam, Ypper nomine, tres filios habens, quorum unus Nori, alter Østen, tertius Dan 15 dicebatur. Quem pater suus misit in has partes, quę nunc dicuntur Dacia, ad regendas insulas quattuor, scilicet Sialand, Møn, Falster et Laland, quę omnes uno uocabulo nuncupabantur Withesleth. Impetrauit enim Ypper hoc ab intus habitantibus, ut hanc plagam, 20 scilicet Withesleth, filio suo Dan darent ad sedem regni. Quo facto regnauit Dan in Withesleth, Sialandię ciuitatem construens Lethram nomine, quam magnis opibus ditauit. Fuit autem Dan rex sedis illius uel regulus per triennium.

Nunc uero scire uolumus, unde Dacia nomen assumpsit. Attestatur equidem nobis antiquorum memoria, predictas partes istas (Iuciam, Feoniam, Scanię et Withesleth) a nullo extitisse subiectas, excepto tantum Lodowico, cuius pace et beniuolentia baptizato 30 Haraldo rege apud Maguntiam Dani christianitatem

recepérunt; aliter nec a suo subseqüente nec antecessore aliquo umquam erant subiectæ, sed resistentes quibusque inuadentibus inuisæ ab omnibus in principio permanserunt.

5 Erat igitur Iucia, quia periculis proxima, quodam lignorum fragore munita, ubi nunc est Danæwerch, præ insidiis Augusti primi Cœsaris; ad quem ipse Augustus collecta multitudine primo constituebat prælia. Cui resistentes Iutones Dan, principi Withesleth, nunciauerunt, ut eis ueniret in auxilium. Quo nuncio Dan magno repletus gaudio suos conuocans exercitus sine mora procedebat ad prælium. Cumque Dan uenisset ad fragorem, Iutones cum eo castra sua mouebant ad Cœsarem et cum eo graue prælium commiserunt; quo plerosque eius in ore gladii deiecerunt, ceteros autem fugauerunt. Videntes autem Iutones Dan strenuum uirum et fortem et uirtuosum, duxerunt eum ad lapidem, qui dicitur Danarig, posueruntque eum super lapidem, inponentes ei nomen regis; sequentesque eum Iutones 15 Feoniā Scaniāmque cum aliis adiacentibus insulis subdiderunt. Vedit autem rex Dan regionem suam, super quam regnauit, quod esset bona; uocauit principes suos et exactores et ait: „Bene placet michi regio mea; quo nomine appellabimus eam?“ Qui dixerunt: 20 „Rex, in éternum uiue! Tu es rex Danus, regio tua Dacia uel Dania uocabitur, quod nomen in éternum non delebitur.“

Erat ergo Dan rex in Dacia per triennium. Tandem cognouit uxorem suam Danniam genuitque ex ea filium 25 nomine Ro. Qui post patris obitum hereditarie possidebat regnum; patrem uero suum Dan colle quodam apud Lethram tumulauit Sialandię, ubi sedem regni pro eo pater constituit; quam ipse post eum diuiciis multiplicibus ditauit. Tempore illo ciuitas magna erat 30 in medio Sialandię, ubi adhuc mons desertus est nomine Høkæbiærch, quæ Høkækøping nuncupata est. Ad quam ut mox Ro rex uidit quod mercatores a nauibus in uia currus conduceentes multum expenderent, a loco

illo ciuitatem amouere iussit ad portum, ubi tenditur Ysæfjorth, et circa fontem pulcherrimum domos disponere. Edificauit ibi Ro ciuitatem honestam, cui nomen partitium inposuit post se et fontem, partem capiens fontis partemque sui, Roskildis Danice uocans: quæ hoc 5 nomine uocabitur in éternum. Vixit autem Ro rex ita pacifice, ut nullus ei aciem opponeret; nec ipse usquam expeditionem direxit. Erat autem uxor eius secunda sobole, ex qua genuit duos filios; nomen primi Helgi et secundi Haldan. Cumque cepissent pueri 10 robore confortari et crescere, obiit pater eorum Ro, et sepultus est tumulo quodam Lethre; post cuius obitum partiti sunt filii eius regnum illud, in duas partes diuidentes. Alter terras, mare possedit alter.

Rexit itaque terras Haldanus et genuit filium no- 15 mine Siwardum, cognomine Album; qui patrem suum Haldan mortuum tumulauit Lethre. Helgi autem rex erat marinus et multos ad se traxit maleficos, nauali bello bene aptus; diuersas partes quasdam pace quasdam cum piratica classe petisse prohibetur. Tempore 20 igitur quodam contingebat, ut indigena portu Helgi uenit ad portum quendam iuxta Laland, lassus remigio; ubi per tres noctes in regno fratris quiescens cum exercitibus suis, tentoriis in terra extensis cum pace, carnali captus concupiscentia milites regi aptam quæsituos 25 puellam mittit. Qui cuiusdam baronis Rolfearl filiam, nomine Thoram, prosequente patre regi adducunt. Quæ ab illo fecundata postmodum peperit filiam, quam Ursulam nominauit. Rex quoque Helgi inde procedens diuersas cepit uastare regiones. Contigit iterum, ut 30 post multos annos idem Helgi, portui prædicto iniectus, facti prioris inmemor exhiberi sibi puellam iussit; qui propriam filiam, quam a Thora, Rolfi filia, accepit, uiolauit. Quæ a patre fecundata filium edidit, quem aui nomine Rolf nominauit. Interea obiit Thora, uxor 35 eiusdem Helgi et socrus, et in insula humata est, quæ Thorø dicitur. Et postea etiam ibi sepultus est pater suus, senex Rolf. Helgi quoque, gener suus, rex marinus,

ibi tumulatus est. Filius autem eius et Ursule, puer Rolf, crescebat et fortitudine uigebat. Mater uero eius Ursula uelo uiduitatis deposito data est regi Suethiq Athislo; qui ex ea filiam sibi genuit, Rolf uero, quod 5 ex matre eius, sororem, nomine Sculd.

Interea, dum hec de rege marino Helgi agerentur, frater eius rex Dacię Haldanus mortuus est; post quem rex Suethiq Athisl a Danis suscepit tributum. Quibus constituit regem catulum quendam latrabilem, nomine 10 Rachi, nimis sibi dilectum. Qui dum una die sederet cum exercitu suo, regali seruicio honoratus, uidit canes in fundo luctantes; quos dum a lesione separare uellet, prosciliens de mensa inter eos Rachi ad mortem oppressus est. Quod nullus Athislo nunciare audebat, quia, si quis 15 nunciaret interitum Rachi, decollatione protinus interiret. Erat autem gygas quidam, nomine Læ, in insula, quę uocatur Læsø, pastorem quendam habens nomine Snyo; quem in Suethiam misit petitum regnum a rege. Qui in Suethiam ueniens prima sciscitatione ab 20 Athislo diligenter interrogatus, qualis esset rumor in Dacia, figuratiue respondit: „Apes equidem omnes sine principe existunt errantes.“ Secunda autem interrogatio, ubi pernoctauit, respondit: „Ubi oves lupum deuorauerunt“; uidit enim medicum infirmis ouibus 25 dantem ex lupo cocto pocula. Interrogatus iterum ab Athislo, ubi prius pernoctauerat, Snyo respondit: „Ubi lupi currum comederunt, boues autem in siluam fuge- 30 runt“; uidit enim biferos tres ligna colligentes, quorum unus, qui biæuerthrel dicebatur, extensis pedibus resu- pinus ad terram cecidit, cui illi duo inter crura eius ligna congregabant, illumque quasi boues precedentes traxerunt; quos dispergentes lupi currum deuorauerunt. Adhuc ab Athislo interrogatus, ubi prēterito pernoctaui, respondit: „Ubi securim mus rosit, cuius hasta 35 remansit“; sciuit enim se securim fabricasse ex caseo. Quęsiuit iterum rex, quis esset rumor in Dacia; cui Snyo respondit: „Apes equidem omnes sine principe existunt errantes.“ Quod intelligens Athisl ait: „Mor-

tuusne est rex Rachi?“ Cui respondit Snyo: „Tu dicis.“ Et iterum rex ait: „Rachi mortuus est.“ Videns autem rex Athisl, quod Snyo esset promptus ad loquendum, et non posset eum capere in sermone, regem Danorum prēdestinavit eum, dicens: „Vis esse rex in 5 Dacia?“ Cui respondit Snyo: „Fiat uoluntas tua.“ Rex autem Athisl regali nomine decorauit eum, dicens: „Ingredere tu, Snyo, in Daciam, et esto ibi rex robustus et furore flagiosus, multas iniquas leges illis et iniustas instituens, ut memores Dani sint nominis tui per eūum.“ 10

Regnauit igitur Snyo secundum iussum regis crudeliter in Dacia, et superbus et iniquus, elatus et in malicia nimis potens, per omnia terribilis, more fulminis furibundus incedens; flentibus, si quid uidebantur habere, abstulit et male ridentibus sparsit. Multas 15 iniquas leges et iniustas instituens, in iudicio minime rectus Snyo, plebem sustinere cogens compartirique, proceres pessundauit. Erat enim ei omnis plebs subdita et fauens. Unus tantum nomine Røth resistebat ei contrarius. Quem in insulam misit ad quęrendum 20 a gygante Læ, qua morte esset moriturus rex Snyo, ea intentione, ut ne iterum rediret uiuus Røth. Qui in insulam ueniens, dicta salutatione regis, quęsiuit, qua morte moriturus esset rex. Cui prius, quam tria proferret ueridica, gygas Læ nichil respondere de morte 25 regis uolebat. Dixit ergo Røth, in monte sedens, numquam spissiores se parietes uidisse parietibus domus illius. Aliud dixit: prius numquam se ullum plura capita habentem uidisse et minorem numerum familie. Ad hoc tertium, quod fuit uerissimum: si illine exisset, 30 numquam redire se uelle. Dictis his tribus, uaticinauit ei gygas moriturum regem morsu pediculorum. Quod sedenti in prētorio apud Iutlandiam regi Snyo Røth nunciauit, idque instanter apparuit: coram omnibus exierunt pediculi de naribus eius et auribus, quorum 35 multitudine totum corpus tegebatur. Erat autem rex Snyo mortuus morsu pediculorum; cuius nominis memores sunt Dani per eūum.

Interea, dum regnarent Rachi et Snyo, confortabatur filius Helgi Rolf, cognomine Kraki, quem post mortem Snyo Dani regem assumpserunt. Qui Sialandie apud Lethram, sicut antecessores sui, sepiissime moratus est. Sororem suam, nomine Sculd, secum habuit, Athisli regis filiam et matris sue Ursule, de qua superius dictum est; quam fraterno amore dilexit. Cui prouinciam Hornshereth Sialandie ad pascendas puellas suas dedit; in qua uillam edificauit, que nomen Sculdef accepit.

Hoc tempore erat quidam comes Scanię, nomine Hiarwart, Teotonicus genere, Rolf tributarius. Qui ad eum preces misit, ut sororem suam Sculd Hiarwardo daret uxorem; quo nolente, propria ipsius puelle uoluntate clanculo eam raptam copulauit sibi. Unde conspirauerunt inter se deliberantes Hiarwart et Sculd, quomodo Rolf interficeretur et Hiarwart superstes regni heres efficeretur. Non post multum uero temporis animosus ad uxoris exhortationem Hiarwart Sialandiam classe petiit: genero suo Rolf tributum attulisse se simulauit. Die quadam dilucescente ad Lethram misit et, ut uideret tributum, Rolf nunciauit. Qui cum ueniens uidisset non tributum sed exercitum armatum, uallatus est militibus et a Hiarwardo imperfectus est. Hiarwardum autem Sialandenses et Scanienses, qui cum eo erant, in regem assumpserunt; qui breui tempore, a mane usque ad primam, regali nomine potitus est. Tunc uenit Haki, frater Hagbardi, filius Hamundi: Hiarwardum interfecit et Danorum rex effectus est.

### SAXO GRAMMATICVS.

#### 1. Convivium Roskildense.

Sueno exul, non contentus semel Saxonibus suppli-  
casse, iterato ad Henricum ducem decurrit perque

Sclauos eius dicioni parentes in patriam se peruehi laborabat. Quorum classe translatus in Fioniam ietis ciuibus ad urbem Othenas se contulit, salutem suam aduersum innumeros paucorum presidio defensurus. Sed et pax immunitasque per Sclauos eius fautoribus pro missa. Igitur, siue impetrande pacis siue amplectende maiestatis intuitu, tanta tuendi colendique eius apud insulanos cura flagrauit, ut passim ad ipsius presidium uirorum feminarumque turba concurreret, egregium reputantium aduersum eos, qui rerum summa potirentur, infractam regis reparare fortunam. Ad hanc famam cum Kanuto Waldemarus aduersum Fioniam terra marique ceteras regni copias contraxere. Quarum multitudo facile Fioniensium paucitatem oppressissent, nisi Waldemarus miseratione reliquiarum afflictis paulo ante ui Sclauica insule rebus parcendum putasset, ne per nouę cladis calamitatem populi residuum exhaustiendo plus patrię quam hosti nocuisse uideretur. Itaque emulum sua cum pernicie tolerare quam debile patrię membrum quassare satius ratus expeditionem ad consilium transtulit. Nam auctore eo res in colloquium uersa est condictumque, ut Sueno cum adscripta sibi clientela Lalandiam concederet ibique propemodum solitarius degeret, quoad inter ipsum et duces de pace plenius conueniret.

Post hęc Sueno Lalandiam concessit; ubi paucitate satellitum non contentus nouos cotidie stipatores adsciuit, clientelęque grandibus incrementis auctus colloqui diem hoc tutior quo fortior opperiebatur, tanquam pacem cum emulis ex pari facturus. Tempore preminato Kanutus et Waldemarus cum omni Danica nobilitate Lalandiam aduehuntur. Tunc Waldemarus, quod Suenonem familiarius frequentare soleret, cum paucis ad eum uisitandum contendit, Kanuto fidem perpetua suspicione damante. Cum quo Sueno Kanutum pariter adesse ratus subornarat ex suis, qui iurgantium more rem in strepitum seditionemque conuerterent emulosque pariter ferro uiolarent: quem ubi

sine socio uenire conspexit, consilium reuocauit, parum proficuam alterius sine altero oppressionem existimans. Waldemarus, cognitis insidiis, sed dissimulatis, multa Suenonis adulatione uexatus, cum ab eo die postero ad 5 familiare colloquium expeteretur, non aliter annuit, quam ut uterque solitarius adesset; eo namque corporis habitu erat, ut cum nemine uiritim congredi dubitaret. Militibus itaque procul abesse iussis inuicem collocuti proximo die concilium aduocant. Tunc Sueno, siue 10 cognitionis fiducia siue tegendę fraudis studio, Kanuto consentiente Waldemaro compositionis arbitrium tradit, probaturum se, quęcumque per ipsum taxarentur, affirmans. Igitur Waldemarus, ipsis sibique regii nominis usurpatione decreta, trifariam totius regni orbem partitus Iutię magnitudinem, non minus incolarum multitudine quam spatiis abundantem, in unam portionem secreuit; in altera Sialandiam ac Fioniam, in tertia Scaniam cum attinentibus prouinciis locauit. Cumque penes ipsum, ut partitionis, ita optionis quoque potestas 15 existeret, primam sibi, secundam Suenoni indulxit, priorque Iutiam ipse elegit. Tunc Sueno, cui post ipsum optio debebatur, ne medium inter emulos locum acciperet, Scaniam poposcit. Ita minores insule duorum electione pręterite Kanuto cessere. Fides pacti 20 sacramento componitur, ut religionis metu perfidia pelle- retur; deinde manus ad oculum tenduntur, auctor rerum in cautionem uocatur; nec contenti concordię pignus humanis stabilire consiliis, deum simul et pactionis pręsidem et temerationis ultorem efflagitant. Pontifices 25 quoque, censure sue partibus intersertis, iis, qui pactum rupissent, execrationis sententiam intentabant. Pręterea condictum, delatores mutuo prodi debere, ne menda- ciorum obscuritate sinceritatis habitus corrumperetur concordięque quassaretur integritas.

30 His ita compositis Kanutus in Sialandiam, cuius iam possessionem adeptus fuerat, Waldemaro comitante pręcedit, Suenonem breui subsecuturum hospitio suscipere cupiens. Quem postridie Ryngstadio susceptum

expertus, dum in eius occursum bonę fidei studio pergeret, Ryngstadice religionis pr̄latum cum Radulfo, equite Teutonicō, obuim habuit affirmantem, nunciatum fuisse Suenoni cum armatorum multitudine eum uenire. Hausit ergo cum suspicione cautelam, argu- 5 mentoque perfidię sumpto contionem, quę eo forte die magna popularium frequentia agebatur, declinato Suenone petiuit. Waldemarus uero, apud quem fides suspicioni pr̄ponderabat, pacti fiducia Suenonem constantius quam cautius petebat. Stabant milites regis 10 gregatim armati, Kanutum et Waldemarum, dummodo pariter affuisserint, necare iussi: compertā alterius absentiā Sueno reuocatis satellitibus multa uenientem gratulatione prosequitur. Percunctantem illum, cur nullo discrimine impendente comitibus uteretur armatis, quid 15 rumoris acceperit edocet; a quo compluribus perfidię probris laceratus consilium propositumque suum summa animi dissimulatione suppressit. Roskildiam deinde Kanuto, cui illic hospitalitatis ius erat, inuitante procedens, nocte per ludos et comensationem exacta, dilu- 20 culo Thorberni uicum haud procul urbe situm cum paucis petiuit, perinde ac paruile filię, quę illic educabatur, cernendę cupiditate perductus. Ferunt tunc uxorem Thorberni dixisse, mirari se eum in hanc condicione uilitatem adductum, ut, quod totum gesserat, 25 eius tertia parte contentus haberi sustineat: quod dictum ab indignatione profectum Suenoni ingens irritamentum facinoris fuit. Vespera appetente mittuntur a Kanuto, qui cenatum eum accerserent. Quos Thorbernum perquam iocunde excipiens, cum super regis 30 mora rogaretur, debilitatem capitis ex balnearum fumo et uapore contractam tarditatis eius causam astruxit; Sueno uero, cum expectationis sue excusationem afferre uellet, cum filia admodum paruula infantibus blandimentis iocatum se dixit. Discors cause redditio per- 35 cunctatoribus notabilis fuit. Quorum hortatu urbem repetens, inter consortes quasi per etatem honoratior medio sedendi loco receptus est.

Mensis post epulas amotis, cum minutioribus poculis passim et uarie discurrentibus conuiuii hilaritas augeretur, calculorum ludum poposcit, gloriatus se eius apprime peritum, quod exul hoc maxime iocunditatis genere delectari consueuerit. Quod dictum, iactantę simile, re uera acerba calamitatis recordatio fuit. Sed tabulato non suppetente ne lusui quidem uacatum est. Inter cetera cantor Germanicus fugam Suenonis exiliūque cantilena complexus uarias ei contumelias for-  
10 matis in carmen conuiciis obiectabat. Quem ob hoc acrius a conuiuis increpitum Sueno dissimulatā molestiā fortunas suas liberius recinere iubet, perquam libenter se post ęrumnas malorum meminisse confessus. Crepusculo appetente illatisque ex more luminibus miles  
15 Suenonis Thetleus, qui paulo ante conuiuio egressus fuerat, reuersus in regiam, occasionem edendi facinoris oculis animoque tacitus perlustrabat. Cumque paulisper attonito stupentique similis constitisset, Kanutus eum propasso in terram amiculo sedere sibi proximum  
20 iubet. Ille tantę eius dignationi graciam habens ęde excedit, e uestigioque régressus exiguo capitis motu Suenonem accersit. Quem signi tam latentis ignarum Kanutus a Thetleuo uocatum edocet. Cui cum Thetleus exsurgenti paululum insururasset, quotquot Sue-  
25 noniarum partium affuere, eis in colloquium admixti collatis in orbem capitibus nemini remotiorum exaudienda tractabant. Tunc Kanutus perinde ac insidiarum pr̄escius Waldemarum brachiis attractatum osculo petiuit; causam blandimenti, cum minime sic se alias  
30 gerere consueuerit, ab eo, cui osculum tulerat, interrogatus suppressit. Interea Sueno relictis in ęde militibus per posticum in conlaue diuertit, pr̄eunte puerō luminis gerulo; mox in Kanutum et Waldemarum a subornatis ferrum destringitur. Sed Waldemarus ocios  
35 sede exsiliens manum amiculo obuolutam non solum applicatis capiti suo gladiis obiecit, sed etiam Thetleum acrius in se ruentem pectoris impulsu humi pr̄ecipitauit. Cum quo pariter et ipse collapsus femur

quam grauissime sauciatus est; at ubi primum pedibus se exceperit, recepti uulneris immemor dum perruptis obstantium globis foribus exsiliret, quidam obscuro loco obuius arrepta cinguli ipsius pensilia, retentare eum conatus, abrupit. Interea aliis, ne noctis errore 5 facinus impediretur, fenestras reserantibus Thetleus humo resiliens Kanutum dexteram gladio obtendentem a fronte confudit. Excipit semianimem Absalon Waldemarum esse ratus, fluidumque cruento caput manibus ac sinu complexus inter ipsos armorum strepitus salu-  
10 tem suam quam regis curam negligere pr̄eoptabat, reliquiis spiritus adhuc in eius pectore palpitantibus; tandem Kanutum a se teneri cultus indicio expertus, permixtum mērori gaudium habuit.

Noctis obscuro neminem discerni paciente, in eos, 15 qui ualas proprius accessissent, stricto ferro proruebat, quia tenebrarum accessio, hostesne an commilitones adessent, incertum fecerat. Igitur Constantinus, qui primo inter Kanuti necessarios loco fuerat, ne exitu prohiberetur, Absalonem, in cuius iam gremio 20 complexuque Kanutus spiritum deposuerat, ad unum ostiorum accedere, quo tutior sibi in reliquum pro- cursus pateret, tacite postulabat; parenteque eo, seorsum elapsus ab iis, qui foris uersabantur, exceptus opprimitur. Absalon uero, propior eius petitioni quam 25 suę saluti, Kanuti corpore reuerenter amoto securus periculorum in armatos progreditur, crebrasque eorum interrogationes confessione sui nominis absoluere dignatus non est. Itaque constantia taciturnitatis adiutus salutarem inter hostes egressum habuit. Cui Radulfus 30 medio ponte obuius tam tētri facinoris non auctores modo sed etiam consciens execrabatur, ab eius se culpa alienissimum protestatus. Hunc Petrus, cognomine Thenia, magno secutus impetu per ludibrium Absalonī comminando discessit. At ille ad australē atrii portam, quo Trinitatis ędes ambitur, infesto satellitum occursu pr̄epeditur; cuius caput gladiorum multitudine circumfusum quidam forte cum aliis superueniens non

solum ferri corporisque sui pio vindicauit obiectu, sed etiam quendam a pectore eum confodere gestientem penas sibi, si non desisteret, daturum minatus salutare ei diffugium conciliauit. Absalon quoque, tempestiu*5* corporis declinatione percussorem euitans, tunica, qua latus eius proxime tegebatur, telum exceptit. Ita, ne Danice reparationis spes penitus elaberetur, futurum patrię columen fortuna seruauit.

Inde digressus cum in Ramsø uicum nocturno *10* itinere peruenisset, attonitum solitario eius aduentu uillicum nunciatis, quę Roskildę inciderant, pene exanimem reddidit. A quo uegetiore equo donatus primum sororem, quam Petrus quidam in matrimonio habebat, deinde matrem petiuit; quę cum ex eo Kanutum occi*15* sum, Waldemarum uero grauiter affectum cognosset, plus m̄ororis ex eorum clade quam ex filii incolumitate uoluptatis contraxit. Interea Waldemarus, duos dumtaxat e suis casu comites assecutus, gressum femoris debilitate negatum uitę cupiditate prouexit. Deinde *20* sequacium ope equo impositus in eum forte uicum casu ductante peruenit, ad quem fortunę eius nuncius Absalon paulo ante pr̄cesserat. Quem postquam ex uillio recenter ad matrem discessisse cognouit, pr̄uiis locorum peritis post eum contendit: adeo corpoream ipsius debilitatem duratrix infirmitatis humanę necessitas confortabat. Illic procurato uulnere femoreque fascia circumligato noctis reliquias exegit.

Diluculo Sueno collectis ciuib⁹ nocturnis emulorum insidiis appetitum se queri, amiculum, quod de industria *30* confederat, ostendere, Kanutum et Waldemarum hospitalitatis uiolatores, periuros, latrones, parricidas appellare, gracias deo replicare, quod amborum facinus alterius nece propulerit, auxilia aduersum superstitem implorare. Assertis eius, quia fraus in propatulo fuerat, *35* fides delata non est. Deinde, ne Waldemaro maritime fugę locus suppeteret, totius insulę nauigiis confodi iussis solitudines quoque, quibus eum irrepsisse crediderat, exquisitus indagandas curabat. Igitur Walde-

marus, tribus dumtaxat comitibus fretus, non per abdita nemorum aut inaccessa paludum, sed per tenues admodum saltus errabat, tutiora ratus loca, quę minus hosti suspecta fuissent. Hesbernus quoque cum aliquot procul in planitiem mittitur, qui se patentioribus inter*5* dum campis Waldemarum simulatorus ostenderet. Complures quoque duce eo uariis in locis multitudinem suam regię transitionis simulatione conspiciebant. Cumque demum Iutiam accedi placuisse, familiaris ei faber nauigium, quo in eam traiceretur, reficere iussus, *10* metuens, ne Suenoni penas daret, operam suam sub specie coactionis extorquendam perdocuit. Igitur Hesbernus, officinam eius agrestium frequentia completam ingressus, in primis eum factę precis commento sollicitat, deinde refectionem abnuenti initit manus nexūmque *15* deducit; abstractus artificium pr̄ebuit. Itaque sub iniurię simulatione et amico utiliter paruit et apud Suenonem sibi impunitatem salubriter conciliauit. Tunc, armamentis commeatibusque per Hesbernum exhibitis, Waldemarus noctu cum suis nauigationem orsus, coorta *20* subito tempestate, inusitatam maris sequitiam expertus est. Ipsiis quoque militibus, immanium undarum aspergine perlutis, tantum algoris incessit, ut singulis corporis partibus hebetatis ne uelum quidem ad nauigationis commodum circumferre potuerint. Pr̄terea tanta *25* nimbi uis antennam impulit, ut inter undas confracta decideret; nec minus imbrum quam fluctuum moles nauigium onerabat. Gubernator omnia freto permittens, abiecto regimine, quo proram deflecteret, ignarus, solum uenti imperium expectabat. Aēr quoque, crebris inter*30* nitentium fulminum ignibus micans, ingenti nubium fragore concrepuit. Tandem per summam nimborum rabiem insulę cuidam errore nauigationis appulsi undis nauigium detraxerunt. Diluculo Waldemarus, administrato per Hesbernum uatico militibus abunde firmatis, *35* secundo mari in Iutiam peruenit. Vibergum progressus Suenonisque dolum pro contione causatus omnium animos ad mestitiam lacrymosa fortune sue narratione

deflexit; cuius assertioni non minus miseratio[n]is quam fidei uulneris presentia conciliauit. Itaque nescias, misericor[ia] plaga an felicior fuerit.

## 2. Absalon classem Pomeranorum delet.

Kanutus rex, filius Waldemari, compluribus C[esar]is legationibus curiam adire paternęque amicitię successionem expetere iussus, intercedente amicorum consilio quam modestissime rescriptsit, excusationis uerbis a regnandi nouitate quęsitis. Siquidem arbitris eius excussa atque explorata C[esar]is calliditas erat, eisdem perfidię laqueis filii simplicitatem circumuenire studentis, quibus olim patris credulitatem implicatam habuerat. Cui cum C[esar] erupturum se regnum aliique daturum plenā minarum epistolā respondisset, solum hoc rescribere contentus fuit, quęrendum uidelicet C[esar]i esse, priusquam sibi regnum adimat, qui Daniam in eius beneficio reponere cupiat; qua responsi libertate non solum minantem elusit, uerum etiam plurimum a se fiducię in ciuium animis reponi docuit.

Apud quem C[esar] frustra monitis egisse se uidens Syfridum, comitem Thyringie, qui sororem ipsius in matrimonio habebat, subornat, quod litterarum suarum instinctu nequibat, alienę uocis supplemento persuasum habere conando. Qui ubi Daniam intrauit, quanta regis caritate ob sororis eius matrimonium teneretur, quantisque C[esar] uiribus esset, exposito, Absalonem, Sunonem et Esbernum, qui soli ex amicis cum rege admittabantur, tum fidei, quam Kanuto, cuius tutores essent, deberent, tum fiducię, quam eiusdem pater in eorum pectoribus reposuerat, admonitos orare cepit, ne amicorum nomine hostes agendo creditum sibi pupillum, annis et consilio tenerum, graue et intolerabile belli onus suscipere iubeant eumque sub titulo tuendę libertatis regno exuant; quin potius salutaribus illum consiliis formare cure habeant Romanique imperatoris curię adscribi deforme non ducant. Respondet Absalon,

de se dubium non esse, quin utiles, si nosset, monitus Kanuto libenter fuerit porrecturus, a quo ita C[esar]is amicitiam expeti uelit, ut proprię eius maiestatis decus incolume seruetur. Nam et Waldemarum, Frederici partes amicitiamque secutum, nihil fide eius aut promissione fallacius repperisse. Proinde Syfridum nosse debere, Kanuto C[esar]ique equum regnandi ius esse, neque minore cum libertate hunc Danici regni quam illum Romani imperii gubernacula continere. Igitur indignante Syfrido plenaque minarum ac fastus responsa fundente: »An tu« inquit »ex temet ipso Daniam pensas eamque ut Thyringiam a C[esar]e, cum uolet, quam facilime capi posse existimas? Proinde abi imperatorique tuo perfer, Danorum regem ne minimam quidem obsequii partem dignitati eius ac nomini delaturum.« Dignum hoc contemptu dixerim, qui, propior alieno imperio quam proprię affinitati, tam inuisam Danicę libertati legationem suo monitu administrare sustinuit!

His auditis C[esar] spernenti se regi, quia bellum nequiuit, odium inflixit, animo, non ferro, contemptum ulturus. Spe tamen potiendę Danię non omissa, ciuilium in ea malorum motum expectandum putabat, seditione diuiduam gentem minore cum uirium suarum periculo oppugnandam sperando. Quam oportunitatem aliquamdiu quęsitam a fortuna sibi negari conspiciens, Sclauię satrapam Bogiszlauum crebris muneribus amplissimisque promissionibus in Danica bella sollicitat. Cuius hortatui Bogiszlaus pronius quam prudentius obsecutus, sed bellum aduersum Daniam palam atque aperte profiteri non ausus, primum auunculi sui Iarimari, Rugię prefecti, quęsitis simultatum causis hostem agere cepit, C[esar]iane[m] militia respectum arctissimis affinitatis uinculis preferendo. Qua de re Kanutus per Iarimaru[m] certior factus mitti curauit, qui causam a Bogiszlauo tam subite lęsonis inquirerent. Ille, non regem, non Daniam a se lędi, sed iniuriam a Iarimaro illatam repellи testatus, communem controuersiam per utriusque legatos, armis interim depositis, ad regis cognitionem

referri depositit, eundemque pacis inter se faciendę auctorem flagitat, uerbis beniuolentiam simulantibus simplicitatis fidem pr̄tendere cupiens. Igitur, rege nihil insidiarum aut perfidię metuente, cause dictionis 5 dies locusque decernitur. Apud insulam deinde Samsam non solum huius negotii explicandi sed etiam iuris ciuilis emendandi gracia ingenti nobilitate contracta, amborum legatos excepit. Quorum altercatione solen-  
niter audita, cum in Iarimaru⁹ complura loquacius 10 quam uerius obiectarentur, ac propter principalium personarum absentiam sententia impediretur, a Bogiszlaui legatis ultiro iureiurando promissum est, eum, cum primum regi placitum foret, in rem pr̄sentem uentu-  
rum. Ita in eludendo rege non minor legatorum quam 15 eius, a quo missi erant, calliditas uersabatur. Quorum promissis Kanutus securius quam cautius estimatis, con-  
cilio ocius dimisso, in Iutiam secessit, fortissimis qui-  
busque Scanorum ac Sialandensium tantam otii tran-  
quillitatem causantibus seque nimia iam quiete in 20 desidiam prouoli querentibus: longo deliciarum usu enerues animos gerere, qui sub rege Waldemaro totius ferme anni tempus multiplice rerum agitatione uario-  
que militie genere deducere consueuerint; nam militaris 25 roboris neruos sicut otio hebetari ac remitti, ita negotio intendi excitarique. Igitur acuendę uirtutis gracia piraticam aduersus Estones in commune decerni placuit.

Inter hęc Bogiszlaus hortante Cęsare, non solum patriis ac domesticis uiribus instructus, sed etiam a finitimis late presidia mutuatus, aduersum Rugiam quin-  
gentarum nauium classem ingenti belli apparatu refer-  
tam contraxerat. Quibus copiis nihil hostilium uirium obstatrum ratus legatum quendam Cęsarem petere iubet, qui tantum a se exercitum aduersum Daniam contractum nunciaret, ut dubitari non posset, quin 30 Kanutus resistendi fiducia defectus quam citissime Romano se foret imperio traditurus. Delectatus promisso Cęsar laudato Bogiszlauo legatum imperatoriis donis prosequitur. Iarimarus, tam subiti inopinatique belli

fama perculsus, Absaloni in Sialandia se continentis magnitudinem periculi Rugiane genti imminentis propinquitatemque denunciat. Qui protinus festinatione, quanta sociorum expugnationem pr̄curri oportebat, accinctus, missis per Sialandiam epistolis, omnem etiam 5 tem armis habilem in classem confluere iussit; minores rates maioribus, onerarias piraticis sociauit, plebique demum ac nobilitati promiscuum corripiendarum nauium usum concessit. Eodem edicti genere coniunctis Sialandie insulis imperatum; at Fioniensibus Scanisque 10 sextum intra diem pr̄fixum portum petere, alioqui supersedere iussum; neque enim ulteriores apparatus inducias conuenire. Adeo autem in his, quibus expeditionis societas mandata fuerat, obsequendi sollicitudo flagrabat, ut egregio alacritatis certamine constitutum 15 sibi tempus aut implerent aut pr̄current. Kanutum uero, tametsi nuncium in Iutia recepisset, ingens locorum distantia denunciati temporis angustiis permixta Absalonici operis consortem existere non patiebatur. Sex solas naues Fonia, quatuordecim Scania ceteris 20 tarditate impeditis transmisit; quarum insignis paucitas culpe obnoxia uideri potuisse, si non longinquitatē patrocinio defenderetur.

Pentecostalis festi peruigilium erat, quando pr̄nominatum sinum Absalonica classis inierat. Eadem 25 die, ne quid segnius aut cunctantius gereretur, Hythini insulam adnauigari curatur. Illic obuīi Rugianorum nuncii prestolandum docent, quoad sciri posset, in quam Rugiani soli partem hostilis irruptio tenderet; iam enim Bogiszlauo ad insulam Coztam Rugię pr̄tentam 30 esse peruentum. Qui quamquam hostilia iam pene rura pulsaret, non temperauit sibi, quominus sobrietatem effusa crapule licentia uiolaret: tanta siquidem epularum indulgentia exercitum aluit ac corrupit, ut conuiuum magis quam bellum amplexus uideretur. Verum 35 Absalon nunciorum monitis obsecutus, eisdem postera luce regressis Bogiszlaumque ex aduerso Strelę insulę copias expositurum docentibus, quamquam crepusculum

appetebat, correpto signo ocissime litus scapha petiuit. Gubernatorum deinde collegio per præconem uocato nuncioque quam breuissimo militibus edito, ingenti cohortationis cura alacritate exercitum repleteuit, quietem suam certis uictorię imaginibus adumbratam præfatus; nec alia militum responsio fuit quam pugnam se optare: quam si accipient, non dubitare, quin uincant. Quem animorum calorem tum a longa uincendi consuetudine, tum etiam ab ingenita Danico sanguini 10 uirtute traxerunt, digni, qui uocis suę augurio non fallerentur. Igitur Absalon incerte nauigationis metu, quod fretum dubię profunditatis esset, diluculum præstolatus, cum inde soluturus esset, aliquamdiu retentus est harenis anchora altius insidente; quo euenit, ut 15 ab uniuersis, infinitum procedendi ardorem gerentibus, relinqueretur. Sed neque se ab exercitu præcedi indecens existimabat, a quo plushortationi suę quam cunctationi tributum cernebat: quem merito his gratulatum crediderim, qui iuste celeritatis compotes quam uiolente 20 more consortes existere maluerunt. Quam tarditatis iacturam impedimento solutus tanta remigii uelocitate pensauit, ut pene prima nauigia occupauerit, dispendium casu inuectum præliandi cupidine redimendo. Hunc publicę festinationis procursum missa a Rugianis 25 ratis excepit, que aliquanto remissiore nauigatione utendum doceret, quod Bogiszlauo adhuc insulam Coztam tenente incertus irruptionis locus existeret. Sed et Iarimarus accessum hostium domestico milite succinctus opperiebatur. Igitur cessata impetus cura ad litus 30 Drecense diuertitur. Illic affertur, hostes domum petisse, nunciis incidentis forte nebulae errore deceptis. Idem nostris portum Darsinum petere iussis Iarimari cum eis consiliaturi Rugiano exercitu uallatum pollicentur occursum. Quo loci adnauigato, cum nec Iarimarus 35 nec quisquam ex eius satellitibus repertus fuisse, placuit Nicolaum Falstricum, quod Sclauicę gentis lingua calleret, explorandi hostium secessus gracia ad Iarimarum dimitti.

Quo abeunte, cum Absalon diuinę uenerationi uacaturus litus scapha petisset, repentino nuncio per Iarimari familiarem suscepto cognoscit, Pomeranicam aduentare classem, que, si nebulae densitas non obstaret, cerni comminus posset. Igitur reuocatis, qui sacra gestabant, cupide concitatam classem obuiam hosti in altum direxit, armis, non precibus, deo libamenta daturus. Quod enim sacrificii genus scelestorum nece diuinę potentię iocundius existimemus? At Pomeranis non tam hostile solum repente inuadendi quam Rugianorum 10 equitatum, defendendi litoris studiosum, uariis nauigationis ambagibus ludificandi propositum erat. Qui Danicam conspicati classem Borwinum occidentalibus comitatum Sclauis auxiliī sibi ferendi gracia aduentare credebant, aëris nubilo nostrarum nauium numerum 15 habitumque dignosci non paciente; neque enim eorum animos subire poterat, Danos per tot locorum spatia a Sclauia remotos intra tantuli temporis angustias eo loci fuisse prouectos, speculatoribus ob nimiam securitatem excubandi officia parum curiose gerentibus. Igitur 20 Bogiszlauos Rugianam classem ante pelli ratus a centum et quinquaginta myoparonibus circuiri desiderat, reliquam classem ueluti in aciem iactis anchoris componit; naues, quibus alimenta uehebantur, aliquanto piraticis præstantiores, inter ipsas et continentem admouit, armate 25 multitudinis speciem uacula lignorum effigie adumbraturus. Quo uultu deceptus Suno Bogiszlauum auxilia a Theutonibus mutuatum credebat. Rarescente tandem nebula Absalon, ab exiguis hostium scaphis præteriri se uidens, non omnes quidem tuto reddituras per iocum 30 aiebat. Igitur, sociis ingenti cohortatione firmatis, in hostilem classem ut imperio ita ductu et nauigatione primus inuehitur. Monitus a Sunone, ne eam, perinde ac Germanicis roboratam auxiliis, præpropera festinatione incesseret, sed temperato remigio militem armari 35 iuberet, minime cunctandum aiebat, præfatus, eo iam loco conclusum hostem, ut nec bellum tuto conserere nec fugam salubriter edere posset; itaque nihil impedi-

